







1
1.
2
1
14
2
1
1
2
3
4



1717.

1. Schelkingius, Gallus : De immutabili legis
naturalis veritate

2. Willenberg, Samuel Fridericus : De matrimonio
impurissimum 3 Aufl. 1717, 1729, 1734.

1719.

1. Willenberg, Samuel Fridericus : De matrimonio conscien-

tiac Gallus : mariage de conscience. 3 Aufl. 1719 et 1741.

1722.

1. Willenberg, Samuel Fridericus : De lapreuo Gephaurum
Intros. Vom Ober-vorstand.

2. Willenberg, Samuel Fridericus : De separatione quoad
thorium et mensam

3. Willenberg, Samuel Fridericus : De rebus pro derelictis
habitis

4. Willenberg, Samuel Fridericus : De estimacione et
in familia.

1724.

1. Willenberg, Samuel Fridericus: *De delictis meretriciis*
2. Willenberg, Samuel Fridericus: *De patrimonium erga suscep-*
tas munere.
3. Willenberg, Samuel Fridericus: *De compassionibus testium ad*
De in tali Testimonium

1725

1. Willenberg, Samuel Fridericus: *De observanda civitate*
is paucis irrogandis

1726

1. Kuhn, Is. Adamus: *De systematibus planetarum*
2. Willenburger, Samuel Fridericus: *De injuriis, quae mortuis inferuntur*

1727.

1. Willenburger, Samuel Fridericus: *De innocentia per totam*
purgate
2. Willenburger, Samuel Fridericus: *De pactis contemptu libris.*

1728

1. Willenberg, Samuel Fridericus: *De lenitate poenae adulteris*

1728

2. Willenberg, Samuel Fridericus: *De mandataris mandatum ecclesie*
3. Willenberg, Sam. Fridericus: *De indemnitate gestorii presentandi.*

1729.

1. Willenberg, Sam. Fridericus: *De aggravatione delinquentium.*
Tiron

1730.

1. Willenberg, Samuel Fridericus: *De divina et officia civi:
lati's secularia vocatione*
2. Willenberg, Samuel Fridericus: *De uxore, maritum
domesticum suum matrem, sequente.*

1733.

- 1^a, 4^c. Willenberg, Samuel Fridericus: *De jure ultimae voluntatis
suae. 3 Script. 1733, 1735 et 1746.*

[Faint, illegible handwriting on aged paper, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



DISPUTATIONEM MORALEM
IMMUTABILI
LEGIS NATURALIS
VERITATE,

SUB PRÆSIDI
VIRI

NOBILISSIMI AC ACEROLENTISSIMI

DN. GOTTLIEB SCHELGVIGII,

Philol. Prof. Publ. Ord. & Rectoris Patrie Bibliothecarius
Honor. Sacerdotis Promotus ac Collegii omni pietate
interim eandem


IN AUDITORIO ATHENÆI GEDANENSIS

ANNO MDCCLXXVII. HOII. III.

DANSIÆ PUBL. LIBRARIJ GED.

Typ. JOHANNIS ZACHARIE STOLLII,
SENIORIS ALIATINI ET TYPOGRAPHI.





2

Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM JURIDICAM
DE

**MATRIMONIO
IMPARIUM,**

1777 2a

P. 292.

SUB MODERAMINE
VIRI

NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, EXCELLENTISSIMI
DN. SAMUELIS FRIDERICI
WILHELMI

J. U. D. Ejusdem ac Historiar Prof. Publ. & Illustris Athenæi
Gedanensis Inspectoris, Fautoris Studiorumque suorum Promotoris
Omni pietatis cultu æternum prosequendi,

In
AUDITORIO ATHENÆI PATRII
maximo,

Die 13. Maji AN. MDCCXVII. Hora IX.

A Dissidentium objectionibus
pro virili tuebitur

DANIEL FRIDERICUS **Dobessell** / Ged,
L. L. Stud.



GEDANI,
Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,
SENATUS ET ATHENÆI TYPOGRAPHI.



DISSELTATIONEM IURIDICAM

DE MATRIMONIO

DEO

ET

PATRIÆ

AUDITORIO ATHENÆ PATRIÆ

FR. M. M. W. D. C. C. M. L. X. V. I. I.

A. D. I. S. S. E. L. T. A. T. I. O. N. E. M.

DANIEL FRIDERICUS STOLTE

L. I. S. S. E.

G. R. A. T. I. A.

THE JOHANNIS ZACHARIE STOLTE
SENIORIS ET ATHENÆ TYPOGRAPHI





Q. D. B. V.
DISSERTATIO

DE

Matrimonio Imparium.

I.



Ultimariis illis bonis, quibus abundare
Deus voluit in his terris hominem, id,
quod non infimæ æstimationis est,
accesit quoque, quod in vitæ hujus
jucunditatem matrimonium ordina-
verit, ut eo sociati sibi invicem sint
auxilio ad perferendas necessitates,
habeantque medium se conservandi,
& genus suum ab interitu vindicandi. Aded vero major in
eo elucescit summi Largitoris bonitas, quod cujusvis arbitrio
reliquerit, se matrimonio innectendi cum persona, quæ omni-
um maximè placet, dum nimia sanguinis propinquitas, ætatis
vel animi inhabilitas obstaculum alias non inferat. Ea namq;
libertate fit, quod, quæ esse debet, inter hos socios jucundis-
sima amicitia contrahatur, quam difficile est impetrare, si ad per-
sonam, statum, fortunæ conditionem aliamve legem in con-
trahendo matrimonio se quis alligatum videt,

*Liberum
est homini
sibi perso-
nam quam
velis ma-
trimonio
jungere.*

A

II. Sed

*Species ma-
trimonii
Imparium.*

II. Sed ab ea libertate sæpe accidit, quod inter personas contrahentes eveniat Imparitas quædam. Ea se exferit, cum sine delectu ætatis persona *multis à se annis distans* conjux eligatur, utpote si senex juvenulam ducat uxorem, vel vetula Juveni se copulandam præbeat. Hert. *in Opus. Tom. 1. de Paræm. Jur. Germ. Paræm. 67.* Olizarov. *de Polit. hom. societ. lib. 1. cap. 7. §. 1.* Arnisæus *de Jure Connub. cap. 2. Sect. 7.* Si impares *divitiarum fortuna* transeant in conjugium, id inter inæquales contrahitur. Quod maximè ex Praxi hodierna fit, juxta quam, secus ac de Jure Romano *Aurb. Æqualitas C. de Pact. Convent.* in seâcuritatem dotis illatæ non amplius paritas inter illam & donationem propter nuptias requiritur, sed fœmina amplissimam dotem marito pauperi conferens, cum cura & sollicitudine ejus contenta esse jubetur *Carpzov. P. 2. Const. 43. Def. 1.* Philippi *in Usu Pr. Inst. Libr. 2. tit. 7. Eccl. 39 n. 7.* Personæ Christianæ quidem, attamen *diversa religionis* impares veniunt ad matrimonium, & ab eo cultu, quo à se invicem distinctæ sunt, sæpe disparitatem ad sobolem suam transmittunt. B. Stryk. *in nor. ad Brunn. Jus Eccles. L. 2. c. 17. §. 8.* Imparium est etiam matrimonium inter personas *statu & vita dignitate multum dissimiles.* Hoc tantum non dirimendum, sed dissolvendum tamen esse, si adhuc contrahi debeat, sunt qui statuunt. Gerhard *loco de Conjug. §. 399.* qui illud Ovidii perpendendum volunt *Ep. 98.*

Quam malè inæquales veniunt ad aratra juvenci,

Tam premitur magno conjuge nupta minor.

Non honor est, sed onus, species læsura ferentes

Si qua voles apèd nubere, nube pari.

Verum de hoc matrimonio, missis cæteris speciebus matrimonii Imparium, nunc pluribus agere & in ejus justitiam inquirere constituimus, ita ut quis pro diverso hominum statu, tam quoad contrahentes, quam natos ex illo, effectus esse

De qua specie hic agatur?

esse queat, simul ostendamus. Vocatur Gallis *Mes alliance*, Germanis *Miss-Heyrath*. ab iniquitate quam his nuptiis adesse putant Gerhard. Feltman. *de Impari matrim. c. 1. n. 2.* Rectius nos illud appellabimus: *Ungleicher Persohnen Heyrath*.

III. Excepta status inæqualitate personarum contrahentium, hoc matrimonium per reliqua jura sua ob alio matrimonio diversum non est. Proinde nihil commune habet cum concubinato, qui per leges nomen assumit *L. 3. in f. ff. de Concubin.* & pro diversa ejus specie tam jure civili quam canonico pro licito reputatur. Nam aut *temporarius est*, cum fœmina tantum ad tempus in concubinarum assumitur, & pro fornicatione potius quam concubinato habetur, ac jure communi prohibitus est *c. 5. C. 32. qu. 2. c. 9. C. 32. qu. 4. Nov. 18. c. 5. Nov. 29. c. 12. §. 5.* Aut fœmina ita in concubinatum accipitur, ut mutuus sit invicem affectus, se *nunquam* deserendi, nec cum aliis cohabitandi, qui concubinitus Jure Civili *L. 5. C. ad. Sci. Orphic. 1. c. ff. C. de Concubin.* & Jure Canonico permittitur *c. 4. & 5. Dist. 34. c. 6. & 12. C. 32. qu. 2.* Quia tamen cum fœmina initur, non ex animo uxoris sed concubinæ habendæ, ut libidinis sit ministra & remedium, non confors jurium omnisque vitæ, & ut pars familiæ ac mater familias in domo *L. 1. ff. de R. N.* inde pro vera specie matrimonii æstimari non potest, & hodie quoque inter privatos penitus prohibitus est. Gabriel Palæott. *de Nobis & Spur. cap. 11.* Dn. Coccej. *de Lege Morganat. Sect. 4.*

IV. Nec cum specie matrimonii nostri convenit Matrimonium Morganaticum, quod Vir illustris cum fœmina vilioris conditionis hoc pacto contrahit, ut ipsa & liberi ex ea nascendi se abtineant à successione & dignitate Mariti ac Patris, sintque certa ipsis assignata portione contenti *a. F. 29.* Nam per hoc matrimonium personæ equidem inæqualis conditionis

Differt ab ea Concubinatus.

Ut & Matrimonium Morganaticum.

ditionis & status conjunguntur, non tamen ad æqualia jura, ut fit in nostro Imparium matrimonio

*Quæ perso-
narum In-
æqualitas
in nostro
matrimo-
nio suppo-
natur.*

V. Scenæ nostræ inservientes personas supponimus tales, quæ multum in dignitate à se invicem differunt, seu quas inter toto genere imparitas, ut nulla inter eas comparatio institui possit, velut in Principe & fœmina nobile talis disparitas offenditur; item in nobile & cive; in cive & ancilla. Non personas supponimus, quarum inæqualitas ex genere saltem subalterno originem trahit, ac quæ gradu tantum dignitatis & eminentiæ à se invicem separatæ sunt. Strauch. in *Instit. Jur. publ. Lib. 1. tit. 32. §. 3.* ut si ambæ personæ ex illustri stirpe sint, sed altera Cæsareæ vel Regiæ, altera Electoralis vel Ducalis dignitatis, qualium personarum matrimonia contracta vel saltem deliberata vide apud Ahasver. Fritsch, in *Opus. Var. Tract. 18. cap. 10.* Puffend. de *Reb. Svec. lib. 14. §. 49. & Hist. Rex Brandenb. lib. 1. §. 40.* vel si ambæ personæ sint civici ordinis, sed altera ex literati, altera ex mercantilis aut opificis genere. De harum enim personarum matrimonio quoad effectum juris tanta ratio dubitandi haut esse potest, quanta de illarum moveri solet. Illarum vero inæqualitatem jam considerandam habebimus, vel ut est à parte mariti, qui suæ conditionis imparem ducit uxorem; vel à parte Uxoris, quæ nubet viro conditionis inferioris. Utriusque imparis hujus matrimonii nunc suppeditabimus exempla quædam.

*Exempla
matrimonii
Illustrium
cum Fami-
lis vilitati-
bus.*

VI. In sacris annalibus occurrit Ahasveri Regis potentissimi Persarum exemplum, qui, repudiata Vasthi Regina, Estheram, Ahiahil Judæi filiam, fœminamque pauperulam sibi matrimonio junxit, & capiti ejus imposito regni diademate, eam Reginam constituit. *Esther. 11. 15. seqq.* Joseph. *Antiquis. Jud. Lib. XI. cap. 6.* De Stephano Hungariæ Rege memoriæ proditum est, quod, cum à regno fuisset ejectus, Venetias venerit, & ibi Patricii cujusdam ex Maurocenorum familia

familia Viriditissimi filiam uxorem duxerit, & filium ex ea
 susceperit, qui sub nomine Andreæ III. postmodum regnum
 avitum, ex quo Pater Stephanus pulsus fuerat, recuperavit.
 Bonfin. *Rev. Hungar. Decad. 2. lib. 9.* Alexii Michailovizii
 Russorum Czarii matrimonium cum Nobilis cujusdam filia re-
 censet Olear. *in Itinerario Persæo lib. 3. cap. 15.* Udalricus
 Dux Bohemiæ, cum domi sibi nullam parem sponsam ha-
 beret, & in Germania, in qua magnam ætatis partem contri-
 verat, Gynæcea non satis placerent. incidit in puellam Beatri-
 cem rustici cujusdam hominis filiam, eamque sibi uxorem
 constituit, quæ brevi à nuptiis tempore, tantum generosa in-
 dolis specimen, tum morum elegantia & modestia, tum ver-
 borum comitate & civilitate, tum vita denique casta & pud-
 ca ostendit, ut non in minorem sui admirationem, quam
 prius invidiam, matronas etiam nobilissimas converterit. Ea
 quoque primo statim matrimonii anno filiolum peperit, cui
 Bratislai nomen datum, eoque Parentem adeo exhilaravit,
 ut diem lustricam publico convivio, choræis, hastarum concur-
 su, donativo concelebraverit. *Dubrav. Hist. Bohem. lib. 7. pr.*
 Cosmus I. Dux Florentiæ, ut amorem civium suorum erga
 se sibi conservaret, filio suo exterorum Principum filias, quæ
 ipsi offerebantur in matrimonium, dare noluit, sed ex civico
 ordine ipsi uxorem collocavit. *Froissard. Hist. lib. 3.* Ex Ger-
 mania Principibus est Dux Otto filius Primogenitus Ducis
 Brunsvicensis & Lüneburgensis, qui virginem nobilem à Cam-
 pen uxorem duxit, teste Buntingio *In Chron. Brunsvic. fol. 443.*
seq. Sic Marchio Badensis Ernestus in secundo & tertio con-
 jugio, bigam Virginum Nobilissimarum, nempe *Ursulam* Equi-
 tis à Rosenfeld filiam, ac *Annam Bambastim* de Hohenheim,
 interjecto tempore in Uxores duxit, apud Befoldum *Consil. 38.*
n. 23. Alius cujusdam Principis Germaniæ, sub presso nomi-
 ne, exemplum, qui nobilis cujusdam filiam sibi conjugem
 adsci-

adscivit, refert Henrich Salmuth. *In Responso Juris pro matrimonii Princip, cum virg. nobil. pag. 1.* Plura exempla matrimonii Imparium à Principibus & Comitibus Germaniæ contracti vide apud Salmuth. *d. l. pag. 76. — 86.* Mylerum ab Ehrenbach *in Gamologia Princip. cap. 5. §. 16. segg.* Franckenberg *in Europäischen Herold P. 1. p. 291. p. 445. 503. 537 663.*

*Baronum
& Nobili-
um quoti-
diana exhi-
bet Praxis.*

VII. De exemplis personarum inferioris ordinis Baronum, Nobilium, qui cum fœminis ignobilibus contraxere matrimonia & adhuc contrahunt, non opus est dubitare, cum ubique fèrè locorum talia suppeditet Praxis quotidiana, Carpz. *in Jurispr. Eccl. lib. 2. Def. 10. n. 9.* Sive enim virum Generosum commoveant ad hoc matrimonium fœminæ prudentia, forma aut mores, sive alliciant acquirendæ divitiæ, quibus rebus angustis suis consulat, & in splendore antiquam suam profapiam conservet, siquidem tædiosius nihil est Generoso viro ac Nobili audire, quam istud vulgo verbum: *gut edel/ blut gant/* causæ sunt tales, quæ à parte ignobilis Uxoris compensant nobilitatem mariti. Hinc apud Venetos licet alias inter Nobiles & Plebejos matrimonia prohibita sint, si tamen Patritii collapsa fortuna ex locupleti plebejæ connubio reparari possit, hoc facilius permittitur, quam ut sordida paupertate sua vivat oneri Patriæ. Bodin. *de Republ. lib. 5. cap. 2.*

*Civium &
Sacerdo-
rum cum
ancillis.]*

VIII. Si ad minoris adhuc ordinis homines descendamus, illorum ex civico statu reperiuntur, qui ancillas sibi thori focias constituerunt. Id quod non pudori, sed commodo sibi duxerunt, quasi magis ad nutum ejusmodi uxores habeant mariti Cypr. *de Sponsal. c. 13. §. 36. n. 2. p. 498.* Quo spectat istud Horatii *Lib. 2 Carm. Od. 4.*

*Ne sit ancilla sibi amor pudori
Xanthia Phocen, prius insolentem
Serva Briseis nivo colore
Adoris Achillem.*

Adeoq;

Adeoque exempla virorum civium cum ancillis se matrimonio jungentium passim locorum reperire licet, & nec planè à tali connubio se abstinuisse sacerdotes leguntur docetque experientia. Narrat de illis, qui circa tempora Lutheri ex monasteriis egressi & in Lutheranorum Ecclesiis pastores facti, sequentia Arnold in *Histor. Eccles. & Hares. P. 2. c. 14. S. 25.* Die Pastores auf dem Lande in der Nachbarschafft haben sich dis Jahr (1525) sehr geändert / Herr Ludwig Pleisner hat sich lassen mit seiner Kdchin copuliren, Herr Franz Müller hatte Hochzeit mit einer gewesenen Nonne. Herr Jacob Birman that ingleichen mit seiner Kdchin / anderer Exempel zu geschweigen. Ein anderer gedendet gleichfalls / wie Anno 1542. zu Dassel die Pfarrer ihre Wägde und Kdchinnen entweder verstoßen / oder sich dieselbe ehelich beylegen lassen müssen &c. Proximè præcedente seculo circa annos 1688. & sequentes Caspar Lerchius primum Breger, deinde Glogoviæ in Silesia pastor, hic Glogoviæ post mortem primæ uxoris secundas nuptias cum ancilla sua contraxit

IX. Ad feminas illustrioris & nobilioris originis nos conferimus, quæ vilioribus maritis fuerunt copulatæ. David in Populo Israelitico postea Rex exemplo suo præluet, cui adhuc humilis conditionis homini Rex Saul dedit filiam suam in matrimonium, ut ipse eo nomine apud servos Regis verba faciat *an videtur leve in oculis vestris affinitate jungi cum Rege, cum ego sim vir pauper & vilis. 1. Sam. XVIII. 22.* Tacitus testis est *1. Anal. c. 3.* Mæcenatem Augusto Casari confuluisse, ut Juliæ filiz suæ M. Agrippam maritum daret, quam planè imparem conditione Juliæ, & hominem ignobili loco natum, attamen bonum militiz & victoriæ socium. His feminis accensenda videtur Emma, Caroli M Regis Francorum postea Imperatoris filia, quæ à patre dicitur Eginhardo

do Cancellario suo uxor data vid Lips. in *Monis. & exempl. Polist. l. 2. cap. 12. n. 12.* Sed fidem hujus historię dubiam facit Besselius in *Commens. ad Eginhardum de vita Caroli M. c. 19.* qui notat, quod d. c. cap. 19. ipse Eginhartus testetur: *Carolus nullam filiam unquam aut suorum aut exterorum nuptum dare voluisse.* esseque istam fabulam natam ex historia Monialis cujusdam, quę Clericum amatorem noctu per nivem dorso extra curiam deportavit, inspectante Henrico III. Imperatore Meliore fundamento constat de Maria Regina Scotiæ, quę super Francisci II. maximi Regis Galliarum uxor, & ipsa regni illustris heres, postea Henrico Stuardo, adolescenti privato, nullis insignioribus honorum titulis claro, ipsis Scotis non satis æquis, Anglis vero vehementer infensis, nupsit, acclamante tandem multitudine, ut prosperè omnia succederent, Henrico & Maria Scotorum Regibus. Buchanam de *Reb. Scot. lib. 17. pag. 643.* Thuan *Hist. sui temp. lib. 37.* Legitur de Gustavo Wasa Rege Sveciæ, quod viduis ac virginibus nobilibus, si conditionem nuptiarum sibi parem, ob penuriam nobilium virorum à Christierno magna parte sublatorum, invenire non possent, permiserit aliis honestis viris, etiam si nobili loco nati non essent, nubere, illisque ubi rectè factis & virtutis studio mererentur, honores dare pollicitus est. Et fuit etiam molitoris filius, qui Magni Grenii viduam uxorem sibi junxit, quem nobilitatis insignibus, dignitate Prætoris arci Arrhosiensis multisque etiam opibus Rex exornavit. *Locen. Hist. Svec. lib. 6. p. 256. seqq.* Ita non desunt exempla, quod Comitum, Nobiliumve filiæ sacerdotibus aliisque civici ordinis viris in matrimonium datæ fuerint, quę leges apud Spenerum in *Consil. Theol. Germ. P. 2. p. 577. & Consil. ult. P. 2. p. 190.* Adhuc alia exempla hanc in rem collecta vide à Mylero in *Gamol. Princip. c. 5. §. 23.*

X. Verum

X. Verum ne à solis exemplis sed legibus iustitia matrimonii Imparium juxta *L. 13. C. de Sentent. & Interlocut.*, æstimetur, argumenta quoque & rationes nunc proferamus, qui in utramque partem super eo contendit solet. Non esse probanda matrimonia Imparium evinci volunt I. quod nimia personarum inæqualitas impediatur communicationem jurium, & uxorem ac prolem in discrimen inducat legitimitatis & successione Seckendorf *im Teutscher Sürstten Staat. P. 2. c. 7. §. 26. n. 1. & 3.* Hanc Ferdinando Archi Duci Austriæ obstitisse refert Thuanus *Hist. lib. 71 inf. p. 446.* quod Philippina Velsera Patricia Augustana & liberi ex ea suscepti non pro legitimis uxore & liberis, successioneq; capacibus ab Ordinibus Germaniæ judicati fuerint, sed ex amplissimis suis provinciis ex Velsera Carolus natu grandior Filius exiguo castello cum Marchionis titulo jussus fuerit esse contentus, Andreas autem alter filius sibi ex gratia Pontificis Cardinalitium officium mereri compulsus II. quod viro Illustri ex tali matrimonio imminet periculum amittendæ autoritatis, uxori vero inferiori contentus Aulæ ac Cognatorum, quæ ipsa tandem marito intolerabilis redditur, ut & in eam irarum & odii radios deflectere incipiat. Arnisaus *de Jure Connub. cap. 3. sect. 6. n. 15. seqq.* Haveman *Gamol. Synopt. lib. 5. Post s. n. 4. III.* Magna inde sanguinis & familiarum oboriatur confusio, cum à tali commixtione nihil sinceri & intamini retineri possit, die *Uhralten Fürstlichen/ Gräfflichen und Adeltichen Häuser werden socher gestalt ihren Flor/ Hoheit und wolhergebrachte Würde/ reputation und auffnehmen nicht behalten können/* cum tamen Reip. interfit, dignitatem & illustrium Familiarum splendorem factum tectum conservari, utpote in quo non tam privata quam publica salus consistit. *L. 1. §. 13. ff. de Vent. Inspec. Salmuth. cit. Resp. p. 13.* IV. Exempla docere, parentes hujusmodi matrimonii nunquam desiderasse, ut liberi ex eo nati

B

suarum

Proferuntur
argumenta
pro Impro-
bando hoc
matrimonio
quorum sume
septem.

suarum dignitatum & omnium bonorum participes fierent; certo argumento, ipsos testari, quod conjugem istam inæqualem & liberos ex ea pro legitimis non habeant, Feltman *de Impari matrimonio P. 1. c. 1. n. 43. seqq. V.* Non extare in historiis exemplum, quod à plebeja matre natus ad regiam aut huic proximam evectus fuerit dignitatem, sed Deum semper coecitate mentis punivisse obicurioris ortus homines, qui ad istud fastigium adscendere non sunt veriti, hoc ipso nos erudientem, quod ad ista fordida origo aliquem incapacem faciat. Feltman. *d. l. n. 110. seqq. VI.* quod Lege Julia de maritandis ordinibus sancitum sit, ne Senator aut alius præfulgens dignitate cum humili & abjecta foemina, ut Libertina, aut ea quæ publicis mercimoniis præposita, aut cujus pater vel mater ludricam artem exerceret, matrimonium contrahat *L. 16. pr. L. 23. 34. §. f. L. 42. §. 1. L. 43. §. 10. L. 44. 47. & 49. ff. de R. N. L. 7. C. de incest. nupt. L. 1. C. de natur. lib. VII.* Si foemina dignitate præcellentior nubat viro villiori, hanc non sine gravi dedecore gentis ac sanguinis sui in ipsa obtenebrescere, cum mariti conditionem sequi teneatur, ut expresse habetur in *L. ult. in f. C. de incol.* Unde maluit Elisabetha Regina coelibatum quam nuptias. *Utiqve prævidit, inquit Cambden, Hist. Elisabeth. P. 3. p. 365 si subdito nuberet, sibi ex disparitate dedecus contraharum, & ad domesticas similitates & turbas faces accensuram.* - *Gloriam etiam, qua sibi innupta integra & indelibata mansit, in maritum nuptiis transcribendam timuit.* Ita quoque Languet, *lib. 2 Secret p. 71. Puto Reginam studio ludificare procos & ducere tempus, ut in possessione Gubernationis ita se confirmet, ut quicumque eam duces, tantum noctu jure regio utatur.* Et Christina Regina Sveciæ super matrimonio in cundo monita respondit. *Sublimiores sibi spiritus in præsentis fortuna esse, quam ut uxoralem conditionem subire queas. Ab eo jugo semel suscepto non amplius liberari se posse Pufend, Rerum Svecic lib. 21. §. 113.*

XI. Sunt

XI. Sunt hæc argumenta primaria, quibus inter statu *Econtrariis*
 Impares matrimonium consistere non posse contendunt, *Au. iustitia hu-*
 diamus vero etiam quæ in contrariam partem pro valore hu- *jus matri-*
 jus matrimonii proferuntur. *Primum à defectu universalis monii evin-*
 Legis divinæ id iustum esse demonstratur, nam nulla talis do- *ciculi argu-*
 ceteri potest, quæ ex causa disparitatis personarum matrimo- *mento primo*
 nium ab initio contrahi non posse, aut de facto contractum *à defectu Le-*
 dissolvendum esse, probaretur. *gis divinæ,*
 donec probetur aliquid prohibitum, liberè liciteque agere
 vel omittere, quicquid volunt, eorumque facta Legis censuram
 non incurere, sed habere vim juris & iustitiæ. *arg. L. 43. §. 1.*
ff. de Procurat. Buckholtz in Consilio Rintelensi pro matrimo-
Princ. cum defunct. uxov. sorore contr. n. 203. hinc pari jure
 matrimonium cum impari persona ab illis quoque contrahi.
 Vid. Responf. Jurid. Helmstad. in casu Domum Pppum Al-
 banix concernente, adductum à B. Stryk de *Dissensu*
Sponsal. Sect. 4. §. 177. Qui sic nullo jure divino impe- *Et approba-*
 diti, ex adverso vident, in peragendo tali matrimonio *tione legis*
 ipsis potius tam Jus Canonicum quam Civile patrocinari. *humana,*
 Ex illis est *c. Recurrat. 2. C. 32. qv. 4.* ubi liberorum Jacobi ex
 liberis & ancillis natorum fit mentio, & dicitur: *nihil illis ob-*
fuisse, qui nati sunt. de ancillis. quo minus tenerent regnum, &
terram repromissionis (Genes 20.) cum fratribus ex æquo accipe-
rent, sed prevaluisse semen paternum. Concordat. *c. 2. X. de*
Conjug. Servor. ubi vir à conjugè recedere voluisse dicitur,
 quod ea ancilla fuerit, quam liberam esse credidit, cum eam
 in uxorem duceret, & deciditur, quod retinere eam, & sicut
 uxorem maritali affectione pertractare jubendus sit, si, post-
 quam audivit ancillam esse, eam carnaliter cognovit. Uterq;
 Textus argumentum suppeditat: *nobili aliivè illustri viro li-*
cere quamlibet, imo etiam vilem uxorem ducere. Add *c. 2. C.*
3. C. 29. qv. 2. Idem ex Jure Civili evincitur, Nam in *L. 23.*

§. 1. *C. de Nupt.* jus vetus tollitur, & mulieri, quæ antea sœnicam vitam egerat, ea derelicta, ad matrimonium cum viro dignitate prædito venire permittitur, hoc valore, quasi nulla præcedente inhonesta vita sœmina ducta fuerit. Justinianus Imper. hoc postmodum ita ampliavit, ut cuiuscunque etiam in maxima dignitate existenti licentia esset cum sœmina vilissimæ conditionis contrahere nuptias, quæ ut legitimæ valerent, & liberi ex illis procreati essent legitimi, dummodo dotalia instrumenta scriberentur. *Nov. 78. c. 3. Nov. 117. c. 4. Auth. Sed novo jure C. de Natural. liber. Sonnemann de Jure Novell. ad d. Nov. 117. c. 4. n. 5.*

Argumento
Secundo.

XII. Pro justitia hujus matrimonii facit *Secundo*, quod matrimonium in se & sui natura humanum aliquod & civile negotium sit, meris actibus & mediis externis constans, & ad finem quoque externum tendens. Mutuo enim & libero consensu initur, & quidem super re, quæ in potestate contrahentium posita est, scilicet individua vitæ consuetudine, ad finem, ut soboles procreetur & contrahentes sibi invicem sint ad mutuam auxilium, sicque ab illis tam propria quam Reipublicæ felicitas temporalis promoveatur. Ideo in jure nostro matrimonium etiam contractus appellatur. *L. ult. C. de Repud. Nov. 22. c. 19. ibi: sed sicut in contractu nuptiarum.* Et B. Lutherus *Prefat. libri von Eh-Sachen* id agnoscens, inquit: *Es kan niemand leugnen: das die Ehe ein eusserlich weltlich Ding ist/ wie Kleider und Speiße/ Haus und Hoff weltlicher Obrigkeit unterworfen.* Idem apud *Sacerium in Corp. Jur. matrim. p. 42. b.* Weil denn das Kaysliche Recht sich der Eh-Sachen angenommen/ als eines weltlichen Handels und dieselben gefasset und gebürtet. *conf. hanc in rem pluribus D. Böhmer de Jure Princ. Evangel. circa divorc. c. 2. §. 6. segg.* Hujus naturæ verd cum matrimo-
nium sit, cum quoque arbitrio cujuscunque relictum, sibi in
con-

consortium conjugale eligere personam, quæ placet, ut dictum §. I. firmo stat talo & optimo jure fundatur *matrimonium Imparium*, ut quod eodem modo connectendi coalescit, & ad eundem finem, ac proinde quoque ad parem juris valorem & effectum æstimari debet.

XIII. Cum ab imparitate dignitatis nostrum dicatur matrimonium, ex ipsa natura dignitatis etiam argumentum idque *Tertium* conficitur. Nimirum omnis ea in vita civili virorum non fœminarum est. Hæ ex se propriè nullam dignitatem habent, sed quam possident, de dignitate virorum participant, eorumque vel patrum, licet mortuorum, si virgines sint, vel maritorum si nuptæ vel viduæ *L. s. ff. de Senator.* Confirmatur hinc matrimonii hujus efficacia, quod, cum vir ex se dignitate gaudeat, eamque cum familia sua, uxore nempe & liberis communicet, fœmina vero nihil dignitatis, quam ipsa non habet, in maritum transferat, sed & nihil honori ejus; utpote ipsa de eo participans. *L. 13. C. de Dignit. lib. 12. L. fin. C. de Incol.* detrahat, vilitas uxoris in contrahendo matrimonio Illustri vel Nobili viro impedimento esse nequeat aut quadam inæqualitate societatem illam individuam exturbare; sed conjugium hoc inter eos ipso jure valeat. Faber *in Rational. ad d. L. s. Wurmser, Exerc. Jur. publ. 4. qv. 12.* Huber, *de Jure Civit. lib. 2. Sect. 2. cap. 4. n. 53.* Fœmina hic terræ comparanda est, quæ pro diversitate feminis, quod illi mandat agricola, plantas producit & gignit. Nam ita illa pro diversitate genitoris parit natos quoque. Si Illustris & Nobilioris ortus est, liberi eandem conditionem trahunt, fiuntque honorum suorum & dignitatum participes. Ab humili genitore humilis partus paratur, matris uterus ad eum custodiendum tantum aptus est. Feltman *de Matrim. impari P. 1. c. 2. n. 19. seqq.*

Argumento
Tertio.

XIV. Disparitas generis, quæ hic Imparium constituit

Argumento
matri- Quarto.

matrimonium, ita comparata est, ut tamen alia ratione ad paritatem reduci queat. Sunt divitiæ, potentia, personæ gratia, probique mores, quæ conditioni & status dignitati benè æquiparari possunt. *c. 22. X. de Testib. L. 18. C. de Nupt. supra §. 7.* Inde *Quartum* promanat argumentum, quod, si uxor marito dignitate inferior sit, eam tamen sarcire & compensare possint ejus divitiæ. Sæpè ex illustri ortu quis est, sed ob paupertatem ad ejus splendorem conservandum planè impar, ut Marchionum quorundam in Italia & Gallia exemplo constat, de quibus refert Monzambanus *de Statu Imp. Germ. c. 12. §. 7. in f.* quod multi illorum titulo superbi incedant, qui vix ducenta jugera agri possident. Hic svadet prudentia, ut talis vir uxorem dignitate quidem imparem, ast divitem & animi dotibus præditam quærat, quæ divitiis suis depressæ illustri familiæ reddat nitorem, & caveat, ne ob penuriam sordeat aut splendidam miseriam ostendat. Ut enim, fides sine operibus dicitur mortua, ita etiam mortua dignitas sine divitiis Pruckmann, *Vol. 1. Consil. 22. n. 142. seqq.* Atque ita ubertim his compensare potest, quod maritus præ ipsa in dignitate habet. Myler. *c. 5. §. 55. - 60.* Quod autem divitiæ præstant ad æquandam imparium dignitatem, id etiam præstare potest prudentia, potentia, civium amor aliaque similis causa, tam in viro quam fœmina.

*Approbat
hac affir-
mans senten-
tia & respon-
detur ad
contraria &
quidam pri-
mum argu-
mentum.*

XV. Argumenta hæc sunt, quibus justitia hujus matrimonii propugnatur, quæ pondere antecellere contra sententium tela, & magis veritatem evincere videntur, ut moti virtute illorum nunc concludamus; *posse inter conditione impares personas omni jure contrahi matrimonium.* Verum ne, quæ pro contraria sententia supra §. 10. prolata sunt, nobis obstare videantur, ad illa quoque nunc ordine respondebimus. *Primum*, quod à nimia inæqualitate personarum impedimentum in communicatione jurium quoad uxorem & liberos urget, ex spe-

ex speciali dispositione juris humani petitem est. Fieri enim potest ob utilitatem publicam aut rei domesticae causam, ut lege, consuetudine vel pacto caveatur, ne quoad dignitatem inter conjuges & liberos sit æqualitas 2. F. 29. Id quod factum etiam in exemplo adducto matrimonii Ferdinandi Archiducis Austriae cum Philippina Velsera. Vi enim pacti, non ob inæqualitatem suæ conditionis ea obligata fuit, ut se unâ cum liberis abstineret à plurimis Ferdinandi provinciis Rhet. in *Inst. Jur. publ. L. 1. tit. 21. §. 13.* Enimvero ubi talis dispositio non est, communicatione jurium nequicquam obstat imparitas conditionis uxoris. Nam & Juris divini permissivi est, ut de mariti & patris dignitate participent uxor & liberi *supra §. 11.* & omninò verè Martianus Jctus dixit in *L. 1. ff. de R. N. Nuptias esse consortium omnis vite, divini & humani juris communicationem.*

XVI. Periculum, quod dicitur *Secundo* observari Illustri marito ex tali matrimonio perdenda scilicet propriae autoritatis, & odii ac contemptus oriundi in vilem conjugem, est tale obstaculum, quod averti potest prudentiâ viri. Si videat hæc mala certo secutura esse ex suo matrimonio, non ageret satis cautè, si istud contraheret, sed corrumpi se pateretur voluptatis præsentis illecebrâ, & propriae tranquillitatis suæ munimenta rescinderet. Ast vir etiam esse potest ea virtute & fiducia, quod frangere valeat omnia hæc imminencia incommoda. Si sibi à gravitate meritorum suorum apud omnes constet autoritas; si uxor sit electa persona ad acquirendam aliorum gratiam idonea; si etiam causa sit prægnans & gravis, quare cum impari persona eligatur matrimonium, erit ex his circumstantiis dijudicandum, illas in adversum militantes difficultates minus facere ad istud impediendum, nec dubitandum ad superandum illas talem maritum suffecturum esse.

*Respond. ad
II. argumen-
tum.*

XVII. Nul-

Resp. ad III.
argumen-
tum.

XVII. Nulla *tertio* ex hoc matrimonio metuenda sangvinis aut familiarum confusio, stabitque in Reipublicæ ornamentum antiquarum familiarum dignitas & splendor. Sive enim, dempta lege civili, virtutem, sive sanguinem causam splendoris familiarum esse statuas, utraque hæc viro debetur, nam ab *eo solo* familia & genus nomen suum ducit, & illis à virtute & sanguine suo *solummodo* dignitas accedit, fœminæ, cujuscunque generis accessio *impertinens* est, quæ nihil ad celebritatem, nihil quoque ad indignitatem familiarum confert. *supra §. 13.* Igitur ubi vir est, virtute ac sanguine illustris, per eum familia sua ea dignitatis antiquitate, qua fuit, conservatur etsi ea propagetur per fœminam, imparis conditionis aut sanguinis Petr. Ærod. *Rev. judicat. lib. 4. tit. 15. cap. 5.* Reipublicæ utiq; interest, ut ordinum dignitas familiarumq; salva sit; at nec contingit, quicquam committi contra ejus interesse per Imparium matrimonium. Id quod nec ex citato textu *L. 1. §. 13. ff. de Venir. inspic.* evincitur, in quo prohibetur, ne falsus partus familiæ subjiatur. Ab hoc enim turbari & confundi familias verum est. Vide Stryk *c. §. 77.*

Resp. ad IV.
argumen-
tum.

XVIII. *Quartum* argumentum à vitæ Praxi videtur infirmitudinem inferre matrimonio nostro, cum natos ex isto ipsorum parentes non destinent ad æqualem successionem & dignitatem, hinc hoc ipso testentur, quod matrimonium eorum non sit legitimum, nec Liberi legitimi ex eo progeniti. Verum absit ut ex hac assertionem probetur universalis Praxis. Quis falsitatem ejus non advertit in Eduardo VI. & Elisabetha Regibus Angliæ, quos Pater ipsorum Henricus VIII. Rex ex ambabus imparibus uxoribus, & quidem illum ex Jana Semeria, hanc ex Anna Bolena, Nobilis filia & antea in cubiculo regio serviente, genuerat, cui tamen ambo, ipso Patre per testamentum ita disponente, in æquali dignitate successerunt; Dn. Becman. *in Hist. Civ. cap. 4. §. 6, 7. 8. 9.*

Et

Et quis dubitat in contrarium extare exempla matrimoniorum à Comitibus, Baronibus, Nobilibus cum Imparibus sine ullo liberorum præjudicio contractorum. Scilicet per pacta parentum possunt quidem liberis assignari inæquales bonorum & dignitatum successiones; at ubi hæc pacta non inita fuerint, falsum est, parentes hoc ipso matrimonio significare, id ipsis non esse legitimum, nec liberos ex eo natos legitimos, hinc nec capaces æqualis successionis esse debere.

XIX. Contemptu magis quam responsione dignum est *Resp. ad P. 2.*
Quintum argumentum, quod coecitate mentis puniantur à *argumen-*
 Deo homines obscurioris ortus, hinc sordidam originem eos *tum.*
 incapaces reddere ad Imperii fastigium. Quasi vero Deus & natura dispenset animi dotes, necessarias ad imperandum, ad parentum dignitatem, & non potius ex suo beneficio & sanguinis virtute liberis largiatur, quas postea excipit assidua illorum educatio. Quot reperiuntur splendore quidem generis ornati, sed degeneres animo, quique omnem illum splendorem turpi vita prostituunt. Econtrario quot sunt, quibus genetrix est plebeja, sed qui cunctis eminentiis clarè generis alios longè antecellunt *Feltman. d. l. c. 2. §. 12. seqq.*
 Exemplo sint modo dicti Eduardus VI. & Elisabetha, qui Principes fuerunt summis virtutibus eminentes, Populo pariter ac Proceribus acceptissimi, & ille quoque ex Patris Testamento sorori Mariæ ex Catharina, filia Ferdinandi Catholici Regis Hispaniæ natæ, in Regni successione prælatus. Hanc post Mariam regimini admotam Populus prono semper ac constanti amore & mente prosecutus est, nec alium unquam Principem eâ ipsâ majore observantia, lætiore applausu & votis repetitis, quoties in populum prodiret, toto vitæ decursu excepit. *Cambden Hist. Elisab. p. 2. Franckenb. im Europ. Herold P. 2. c. 4. p. 163. Dn. Ludwig in der Erlenter. über Pafend. Einleit. zur Historie 6. 4. S. 29. p. 704.* Quid, quod

quod magis, exempla sunt, quod naturales & ex concubina geniti clavo & ad vices Imperii digni iudicati fuerint, ut constat de Jephtha *Judic. cap. 11. & 12.* Johanne de Austria, filio naturali Caroli V. Imper. ex Cantatrice suscepto, & vice Regis ad Belgium gubernandum admoto, aliisque, quibus nihil virtutum regiarum defecisse ab humili genere materno, incognito est, ut & Strada laudet indolem dicti Johannis fuisse percellam, mores graviter officiosos, incessum ipsum atque aspectum privato majorem. Eminuisse in ipso adolescente comitatem, industriam, probitatem, ut & in nova potentia hospite verecundiam, de Bello Belgico L. 10. p. m. 606. 609.

Ad VI. argumentum.

XX. Quod Sexto quibusdam legibus Romanis Senatori aut alii præfulgentis autoritatis viro interdicitur cum humili foemina matrimonium, id ex status illius temporis ratione factum, quæ erat, ne plebeji occasione hujus matrimonii causam sumerent, in intimiorem familiaritatem cum Patritiis perveniendi, seque ab horum dominatu eximendi. Ast hoc successu temporis mutatum, & novissimo Jure Justiniano etiam inter digniores & humiles matrimonium permissum fuit, L. 23. C. de Nupt. Auth. Sed novo Jure C. eod. Nov. 78. c. 3. Nov. 89. c. ult. quo jure pristinae leges antiquatae, illique nunc standum est, cum maxime non extet Lex Imperii, quâ prohiberetur, hodie tale matrimonium Imparium esse prohibitum Stryk in Usu Mod. ff. tit. de R. N. §. 6.

Responsio ad VII. argumentum.

XXI. Denique. Ultimum argumentum per se quidem satis firmum indubitatumque est, & dictante ratione aliter esse nequit, quam quod foeminae acceptam à parentibus dignitatem per matrimonium deponant, ac mariti conditionem sequantur, aded ut &, quæ claruit vidua fulgore primi mariti, illo per virum secundum inferioris dignitatis excidat, & hujus ordinem ingrediatur L. 10. C. de Nupt. L. 8. in ff. de Senator. Interim dispendium melioris conditionis, quod ab electa forte mari-

mariti incurrit femina, erit quoque tale, cujus meliorem illa sperare possit compensationem. Imprudens esset & stulta, quæ relicta meliore conditione deteriores eligeret, nihilque amoris, protectionis, curæ aliisque commodi reciperet, quod dignitati suæ æquipararetur *supra §. 14.* Cæterum indubitata ferè consuetudinis est, quod in venerationem regalis vel ducalis familiæ filia Regis vel Ducis, quæ Viro inferiori nubet, prærogativæ quædam in nominibus & curialibus referuntur. Quin ipsæ feminae Regnorum Ducatumve heredes suam dignitatem retinent, cuicumque viro nupserint, quia virorum tunc vicibus & officiis funguntur. Dn. Coccij. *Dissert. de Conjug. Inæquali Personar. Illustr. §. 25. seq. infra §. 47.*

XXII. Vindicavimus hæc à potioribus obstaculis, quibus maximè impugnari posse videbatur, matrimonium Imparium, levioribus immorari haut ducimus operæ prætium fore. Ex dictis vero sequitur Imparium nuptias non opponi nuptiis legitimis ac justis, sed eas ipsas justas esse, quæ iustæ & legitime, seu secundum juris regulas contractæ, pares etiam ratione effectus legitimi matrimonii, de quo infra dicitur, & impares tantum ratione personarum illas contrahentium *c. 2. C. 32. qv. 4.* Igitur etiam si cum ancilla contractum matrimonium fuerit, id hodie non amplius illegitimum aut sine communicatione jurium erit. Jure equidem Romano conjunctio cum servis vel ancillis legitima non erat, nec ea nomen matrimonii, sed *contubernii* merebatur *L. 3. C. de Incest. nupt.* & personæ contrahentes non Conjuges, sed *contubernales* appellabantur *L. 41. §. 2. ff. de Leg. 3.* Verum Jure Canonico inter servos & ancillas legitimum est matrimonium *t. 1. X. de Conjug. Servor.* Sanchez. *de Matrim. lib. 7. Disp. 19.* & multo magis hodie inter proprios homines aut servos ac ancillas mercenarios seu conductitios, quia extra glebam illi, hi in omnibus Liberorum hominum jure gaudent, & hodie ancillarum

C 2

Que observantia quoad dignitatem Reginarum Regumque filiarum

Exponitur qualitas M. Imparium.

In exemplo cum ancilla contracti.

larum ac fervorum matrimonia non ita ut apud Romanos ex vaga libidine, sed potius ex publica honestate contrahuntur, quæ vult, ut in remedium uisionis quis certa persona sub arctiori amicitia vinculo utatur. Dn. Thomaf. ad *Lancell. lib. 3. tit. 11. §. 7. n. 353.* B. Hoppe ad pr. *J. de nupt. in U. H. Basil. Monner. de Matrimon. P. 4. c. 4.* Quod si igitur persona in aliqua civitatis dignitate constituta ancillam ducar, erit inter impares personas matrimonium, sed de jure validum, ex quo uxor ea particeps redditur dignitatis mariti, ut & si vir ab eo contrahendo persuasionibus dimoveri non possit, repelli nequeat, sed potius, si sponsalia contracta jam sint, ad matrimonium consummandum cogi debeat, sicut hanc in rem à Consistorio supremo Dresdensi pronuntiatum reperitur apud Carpz. *lib. 2. Jprud. Eccles. Def. 10.* his verbis: *Wosern ihr demnach dessen allen unerwogen eure gefasste Intention zu ändern nicht gemeinet / so seydt ihr aus Zulassung Geisteslichen und Land üblichen Rechtens / weil dßfalls kein wiederiges Befehze vorhanden / oberwehnte eure Dienerin zu ehligen nicht allein befugt / sondern auch / da zwischen euch alberelt eine verbündliche Zusage geschehen / solches zu thun schuldig /* add. Stryk in *not. ad Brunns Jus Eccl. l. 2. c. 16. §. 18.* Ex adverso vero, si servus liberam ac civici ordinis foeminam sibi constituat uxorem, nec inter eos illegitimum matrimonium erit, at etiam hic libera foemina concedit in mariti conditionem, & si ille rusticus aut proprius homo fuerit, sortem conditionis rusticæ subire tenetur, propriaque efficitur domino, nam conjugium cum rustico vel proprio homine est quoque modus constituendi in uxore jus servitutis personalis. Husan. *de Propr. haminib. c. 5. n. 44.* Hert. *Tom. II. Opusc. Diss. de Propr. haminib. Sect. 3. §. 7.*

XXIII. Justum & legitimum esse matrimonium Imparium, opinamur ostensum esse hactenus in medium prolatis ratio-

*Ut & libera
foemina cum
servo.*

*Causis quæ
suadent vel
dissua-*

rationibus. Cum vero ex pugnantibus inter se commodis & incommodis, quæ ad svadendum & dissvadendum istud sese offerunt, quid factu opus, sæpe non levis remaneat difficultas, erit *Prudentia* cujuscunque committendum, ut, quid omitendum vel faciendum, ipse definiat. Amor & morum venustas magis commendare possunt viro, præsertim magno & dotationis uxoriæ non indigo, cum humili fœmina matrimonium, quam cum persona suæ conditionis. Notum enim est, quod Barclajus in *Argenide lib. 3. pars. 2.* de Regum Principumque matrimoniis, quæ ex ratione status ineuntur, habet: *Scio, inquit, à Regibus sæpè filias, aut sorores spargi in eos, quos salutare amicitia specie volunt, vel ad tempus placare, nihilque deinde sui sanguinis, nihil nominum, que iniverunt, reverentia motos, pacem & bella ex temporum & fortuna ingenio æstimare.* Potest ad nationum odia componenda alicui potenti videri, matrimonium cum fœmina impari facere. Nam ita Alexander M. cum Roxane Satrapæ Persici filia nuptias excusavit, quod Perfarum & Macedonum per affinitates unio regno stabilendo faceret. Hoc enim modo & pudorem victis & superbiam victoribus detrahi posse. Curt. *lib. 8.* A statu rei suæ familiaris potest alicui videri magis conduere matrimonium cum impari persona, utpote si Princeps apanagiatus sit, vel cui ex belli calamitate, temporumque injuria res angusta domi, & omnis spes accisa perveniendi ad uxorem suæ conditioni æqualem. Dn. Elias August. Stryk *Disp. de Matrim. ex Ratione Status 6. 2. n. 21.* Econtrario ab impari conjuge facile contemptus assurgere potest. Fœminæ quæ ad sublimiorem dignitatem evehuntur sæpe imperiosius agere & dominatum affectare incipiunt. Impedimentum etiam impar conjux dat liberis, quod ad jura paternæ dignitatis ipsis aspirare non liceat *S. seq. Arnæus de Jure Connub. cap. 3. sect. 6. n. 14. seq. Cypræus de sponsal. cap. 13. §. 36. Mascard. de Probat.*

dent hoc matrimonium inter se collidentibus utendum prudentia,

Vol. 1. Conclus. 90. n. 1. His veto inter se collidentibus, prudentia rectore opus est, ut agatur secundum ea, quæ magis prodesse videntur, utque evitetur omnis occasio, quâ possit generi vel personæ ullo modo macula accedere. vid. Hippol. Bonacoss. *Tr. de Famulis qv. 249.* Müller *in der ungerathenen Ehe cap. 4. qv. 2. p. 209. seqq.*

Illustrior est dignitas ab utraq; linea

XXIV. Negari etiam non potest, illustriorem evadere nativitatis gloriam, si per Majores utriusque lineæ adepta, quam paternæ saltem lineæ *c. pen. X. de Præbend. ibi ab utroq; parente illustrem.* Reinking *de Regim. sec. & eccl. lib. 1. class. 5. c. 11. n. 26.* Ut duo lumina magis illuminant; ita illustris est honoris fastigium, quod splendet à paritate lineæ, & posteris eminentior est antiquitas generis, quæ absque peregrino auxilio conservata stetit. Hinc venustè non minus quam verè Verulamius inquit, *in Sermon. fidel. n. 14. Venerationem cerse habet videre Castellum aut adificium antiquum. quod nulla ruina invasit, aut etiam annosam & proceram arborem solidam & integram: quanto magis intueri antiquam Nobilem Præsapiam à fluctibus & procellis temporis illesam,* quod non incongruè de conservato genere Illustrium sine impari accessione intelligi quoque potest. Moribus proindè receptum est, ne ad Equestres ordines Johannitarum & Marianorum, nec ad ludos catadromorum, ut Torneamenta, quis admittatur, qui non octo generationes, vel alibi quatuor, ex utroque latere, sine aliquo defectu Nobilitatis ac Stemmatibus probare possit. Dn. Becman. *vom Ritterlichen Johanniter Orden cap. 1. §. 4.* Hermes *in Fasciculo Jur. publ. cap. 36. qv. 40. R. het. in Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 19. §. 8.* Pariter in multis Ecclesiis & Collegiis Canonicorum ad majores præbendas pervenire datum non est, nisi qui maternæ quoque lineæ per longam seriem nobilitatem docere valent. Anton. Perez. *ad Cod. tit. de Dignis. n. 47.*

XXV. Ac.

XXV. Accidit aliquando, quod ubi vir illustris vel nobilis matrimonium parat cum impari foemina, id agnati summa cum indignatione accipiant & vehementer contradicant, inde quaestio est: an possit domus illustris pacto cavere, ne, qui ex successoribus familiae foeminam non illustrem aut ignobilem duxerit, jus habeat dignitatem familiae Principis vel Nobilis ad liberos ex ea procreandos transmittendi, vel illis jus successionis dandi in bona Principatus vel Equestria, & ita per hoc pactum impedire, ne quis ex posteris familiae inferioris conditionis uxorem ducat? Pactum hoc probat B. Stryk de *Dissensu sponsal. Sect. 5. §. 75.* si bona respiciat, quae sunt in potestate paciscentium, cum ex illo obligatio nascatur, quae quoque heredes afficit *L. Veteris 13. C. de Contrah. & comm. stipul.* non etiam si se ad successorum facultatem & jura extendat, quae jure divino & humano habent, ut est arbitrium sibi ex animi sententia thori sociam eligendi, quoniam prohibitio arbitrii de genere prohibitorum est *L. 72. §. 2. ff. de Cond. & demonstr.* inde poenae adjectio, ut prohibita sint nuptiae ejus, qui non ex tenore pacti eas celebraverit, nullius momenti *c. 29. X. de Sponsal.* Et sane quod bona & dignitatem, a majoribus generi parta, attinet, horum omnino ratio habenda, ne per quorundam pacta successoribus in illis praerudicium inferatur. Sunt enim bona, quae non in patrimonio sunt possessorum, ut Regna, Ducatus, Fideicommissa familiarum; sunt etiam dignitates, non juris privatorum, sed juris publici, ut in talia jure hereditario succedatur. In his omnibus, ut a successoribus, sub posita conditione: si matrimonium cum impari persona inierint, avertantur, praesentium possessorum aut cognatorum pactum non sufficit, sed populi, civitatis & omnium quorum interest consensus interveniat necessum est. Quod si igitur hi in pactum ejusmodi familiae non consenserint, nec consentire velint, sed contenti sint, natos ex impari

An valeat pactum familiae, ne quis ex posteris foeminam inferioris conditionis ducat, & in liberos dignitatem & hereditatem transmittat?

pari matrimonio genus illustre suum à patre ducere; si nihil quoque per imparis feminae matrimonium contra primi constituentis bona familiae ac dignitatem voluntatem & legem fiat; pactum omne irritum erit, quo praesentes de familia posteros excludere conantur à fortunis, quae aliunde ad eos perveniunt. Sicut non possunt à talibus bonis per exheredationem sine populi consensu successorem excludere, ut dicitur §. 27. *seq.* ita nec etiam per pactum tale, cum maxime ea, quae juris publici sunt, ut dignitates & Regalia pactis privatorum non subiaceant *L. Jus publicum 38. ff. de Pact.* *Dn. Coccej. de Potestate Stat. Imp. circa dignitates cap. 1. §. 13.* Imo cum hoc pactum non heredes solum sed quemlibet familiae successorem debeat respicere, qui talis esse potest ex pacto & providentia Majorum, non ex delato jure hereditario, id multo magis improbandum erit, cum pacta non alios quam paciscentes obligent, tertio non contrahenti praesudicari nequit, quod inter alios actum fuit *L. 25. pr. ff. de O & A. L. 1. C. Inter alios acta vel judic.*

*Imparitas
persona pa-
rentibus non
est justa cau-
sa liberis de-
negandi con-
sensum ad
nuptias.*

XXVI. Pluribus jam ad effectum hujus matrimonii transeamus. Ob imparis conditionis personam in matrimonium petitam, quae honesta tamen est, parentes petentis justam causam non habent dissentiendi, vel suo dissentu matrimonium impediendi. *Carpz. in Sprud. Eccles. lib. 2. Def. 56.* Indigent quidem liberi Parentum consensu ad convalidandas nuptias, & salva quoque pietate erga parentes eum praeterire nequeunt *pr. §. de Nupt. L. 2. ff. de R. N. Lauterb. in Coll. Pr. iss. de R. N. §. 33.* at parentes tamen etiam sine justa causa liberis suum consensum denegare nequeunt, qualis impar dignitas personarum esse non reputatur vid. *Cothmann. Vol. 1. Responso 1. n. 233 — 254.* Quod si id faciant, Judex loco parentum implorandus est, ut vice eorum suppleat consensum. *L. 19. ff. de R. N. Brückner. Decis. matrim. 6. 3. n. 11.* *Kitzel.*

in *Synopsi matrim. cap. 4. theor. 4. lit. g.* Quæ suppletio in Illustrium Parentum liberis, qui nullum alium, præter Patrem, adire possunt judicem, ipso dictante jure naturali fit, quod liberi sibi ipsis applicare possunt. Vide quæ jam hanc in rem tractata sub adhibita limitatione in *Disput. de Consensu Parent. supplend. per magistr. in nupt. liber. §. 25. seq.* Sicut vero hoc in casu improba est denegatio consensus parentum; ita multo minus Agnatorum dissensus contrahentibus obstare potest, quippe quorum consensus nullo jure requiritur. Unde in superiore Consistorio Dresdensi pro matrimonio civis cujusdam cum Nobilis filia, dissentiente licet sponsæ fratre, pronuntiarum fuisse, meminit Spener. in *Consil. Theol. Germ. P. 2. cap. 4. Sect. 13. p. 578. pr.*

XXVII. Nec imparitas hæc Parentibus semper ad exheredandum liberos justa causa est. Nam si filius ex familia regente sit, cui post obitum Patris successio in Regnum non alienabile debetur, cum populi voluntate successio filio collata, ejus iterum consensu ab ea repellendus erit, sola patris indignatio ad hoc insufficientis est Grot. de *Jure B. & P. l. 2. c. 7. §. 25.* Dn. Budd. in *Select. Jur. Nat. & Gent. de Testam. Summ. Imperant. cap. 1. §. 40. seqq.* Probabile vero non est, populum hanc Patris exheredationem approbaturum esse. Etenim cum manifestum sit, foeminam splendori familiarum nihil detrudere, sed illas patris familias gloriâ & sanguine exurgere ac conservari, causa populo videri non potest, ut ab inæquali uxore inducta filii exheredatio rata habeatur, justaq; pronuncietur. Non est vero solum inhumanum, sine sufficienti causa aliquem à successione excludere, sed & in regni & populi discrimen hujusmodi exheredatio vergere solet. In regno vero vel ducatu *patrimoniali*, in quod pater, ut privatus in patrimonium suum, plenum jus habet, cum liberior de eo sit ipsi dispositio, de facultate ex dicta causa filium ex-

*An Princeps ob eam filium suum exheredare possit? distin-
guo.*

D

here-

heredandi aliter sentiendum erit. Si enim privatus potest filium suum ab hereditate sua excludere, convenit Principi non minus jus in liberos suos competere. Quod hoc casu adeo ipsi afferendum esse putamus, ut, licet ex causis exheredationis, quæ in *Nov. 115. c. 3.* determinantur, non sit vilitas uxoris inductæ, Princeps tamen eam sufficientem judicare possit, utpote qui ad observantiam Juris Civilis non obligatus est, & filium quoque exheredare valet ex causa, quæ illum nullius criminis reum facit, nempe si ad regnandum inidoneus sit, & artes regnandi ac imperiorum arcana capere & penetrare nequeat. Henniges *ad Grot. d. §. 25.*

An Nobilis?
neg.

XXVIII. Si non Rex, sed inferioris conditionis Pater sit, ac talis qui subjacet legibus, ut Nobilis, æquè eum jus habere filium exheredandi, quod uxorem vilioris conditionis duxerit, negamus. Non enim hæc causa ex numero illarum est, quas Jus commune probavit, *Nov. 115. c. 3.* quibus alias addere non licet, cum contra mentem & intentionem Imperatoris auferentur illæ, qui propterea certa lege eas definivit, ne in arbitrio sit parentum sibi effingere causas exheredationis, quæ tamen justæ non sunt. Harpr. *§. fin. 3. de Exhered. liber. n. 73. seq.* Perez, *ad Cod. tit. de Liber. Præter. & Exhered. n. 10.* Facit huc, quod ab imparitate conditionis parentes consensum suum denegare nequeant ad nuptias liberorum, & eum, ubi de facto negaverint, judex supplere queat. *supra §. 26.* igitur, ubi filius impetravit consensum judicis, tanto minus ejus nuptiæ improbandæ erunt, quæ exheredationem mererentur. Schilter. *in Praxi Jur. Rom. tit. de Sponsal. §. 22.* Stryk *de Causel. Testam. cap. 19. §. 35. in f.*

Ipsi contra-
hentes ob im-
paritatem
conditionis à
sponsalibus

XXIX. Liquet ex dictis, parentum dissensum ob causam imparitatis in conjugæ liberorum nuptias impedire non posse. Multo minus dissensus partis contrahentis ex dicta causa sufficit, ut liceat ipsi sponsalia semel inita rescindere, Refe-

Referimus huc casum, quem sequentibus circumstantiis exhibit B. Spenerus *c. cap. 4. Sect. 13.* Illustris stemmatis virgo parentibus infcis cum Titio multarum qualitatatum Juveni, sed civici ordinis, sponsalia contraxerat, quæ consummare tamen non licuit matrimonio subsequente, ob gravem imminentem dissensum parentum. Inclinante interim omni spe pro futuro matrimonio apud desponsatos, accidit, quod Titio jam orbo parentibus, virginis etiam parentes fati functi, sed quæ nunc invita, quia inter Pontificios habitabat, ab Evangelica religione ad Pontificiam deducenda, & in monasterium detrudenda videbatur. Non ignarus hujus rei Titius, ut ab hoc periculo virginem liberaret, verba denuo de futuris nuptiis apud eam facit, cumq; ea de novo sponsalia inicit, in quæ virgo non tantum sponte consentit, sed ea quoque addito juramento confirmat, & multis obtestationibus sese huic juveni devincit. Ex his sponsalibus tam firmum vinculum natum est, ut non amplius parentum, non agnatorum dissensus pro infirmandis illis valeat, nedum possint ex pœnitentia, quam considerata imparitas status causata, dissolvi, sed consummanda sint per subsequens matrimonium.

XXX. Fuit Vir illustris in captivitate bellica hæctenus detentus, sed ab ea per fœminam imparis conditionis liberatus sub promissione matrimonii, ut hujus rei casum planè memorabilem ex Thom. Fazell. *de Reb. Sicil.* refert Myler, *in d. Tr. cap. 4. §. 44.* nempe Rolandum Petri Regis Siciliæ fratrem. missum contra Robertum invaforem, fuisse ab eo victum & Messanæ captum, at à Rege fratre ob cladis infamiam non redemptum, subvenisse tamen eidem Toringam Camiolam fœminam opulentam, at imparis conditionis, eumque magna vi argenti, adjecto pacto matrimonii secum contrahendi, ex captivitate liberasse, hic quæritur, an huic promisso standum sit? quod omninò affirmandum. Rhet. *in Instit.*

*suus recedere
nequeant
Casus hac de
re singularis.*

Princeps captivus famine impari matrimonium promittens sub conditione si eum liberari fecerit, tenetur liberatus promisso stare.

Instit. Jur. publ. lib. 1. tit. 21. §. 8. Condicio enim hæc ex genere earum est, quæ legibus non improbatæ sunt, sed sub quibus matrimonium contrahere permittitur. Brouer. *de Jure Connub. lib. 1. c. 21. n. 4.* Brückner, *Decis. matrim. cap. 1. n. 21.* quæ quoque nec inde vitium trahit, quod in eam consensum ab homine non libero. Etenim vis in ipsum conjuncta bellica erat, ex qua actiones vi derenti non irritæ existunt, quoniam alias modus non daretur, cum eo de redemptione, com-
 meatu, aliisque commoda ejus concernentibus negotiis agendi, si juris effectû, quod conventum, carere deberet. Grot. *de J. B. & P. L. 3. c. 21. §. 14. 15. 16.* Hertius. *Opusc. Tom. 1. Tr. de libero Commeatu & de Lytro Sect. 2. §. 9. seqq.* Quin in nostro casu pactum initur à captivo cum persona, quæ omnis injectæ violentiæ expers est, fœmina scilicet liberationem promittente, hinc omnium minimè vitii postulari potest pactum cum ea initur, ut potius liberatus ingrati animi, imo perfidiæ reus dicendus sit, si auxilio ad discutiendam captivitatis molestiam impetrato, postea in fide data perseverare nolit, sed velit personam liberantem decipere. Pufend. *de J. N. & G. lib. 3. cap. 6. §. 11.* Igitur effectus horum sponsaliorum cum impari persona idem qui aliorum conditionatorum, est, quod nempe pendente conditione sit interim in suspensæ obligatio, ea vero impleta, purificetur & retrotrahatur ad tempus promissionis, non aliter, ac si ipso conventionis momento efficax fuisset. §. 4. 6. §. L. 64. ff. *de V. O. L. 11. §. 1. ff. Qui pot. in pign. c. 1. X. de Condit. appof. Sanchez. de Matrim. lib. 5. Disp. 5. n. 24.* Cypr. *de Sponsal. cap. 8. §. 12.*

Conjuges imparis conditionis sunt sibi invicem ad officia conjugalia obligati.

XXXI. Qui uxorem duxit imparis conditionis, nullus decedere potest ab illis officiis erga eam, quæ maritus uxori exhibere obligatus est, suntque conjugalis cohabitatio. *Genes. 1. 28. VIII. 17. IX. 1. 1. Cor. VII. 3.* amor conjugalis *Genes. 12. 24. ad Galoss. III. 19.* ac uxoris defensio. *Genes. 12. 16.* Vicissim uxor nostra

nostra officiis illis respondere debet, quæ per legem conjugii ab ipsa requiruntur, & communia ipsi sunt cum primis duabus speciebus officiorum mariti, proprium vero obedire & obsequi eidem. Cum dominari debeat uxori maritus *Genes. III. 16.* illius erga hunc subjectio requiritur, de qua disertè Paulus: *Uxores subdita estote Maritis vestris, sicut justum est in Christo. ad Coloss. III. 18.*

XXXII. Sequitur hinc justo serius poenitere matrimonio conjugem, qui deinceps imparitatem conditionis vertit in causam denegandi hæc officia. Nam non potest amplius maritus vilem uxorem suam à participatione jurium suorum excludere, nec in ea plebejam aut ignobilem conditionem improbare, aut cum contemptu eam ipsi objicere. Ut postea effectum habet necessitatis electio uxoris, quæ ab initio erat voluntatis, ita simul notam habet imprudentiæ, si displiceat, quod primùm deliberato animo debebat videri placitum. Unde non omni ex parte probari potest factum illius Nobilis, qui ex instituto puellam, rustica origine natam, sibi elegerat uxorem, sed, ut eam memorem ortus sui & sibi magis obsequentem redderet, jusserat vestimenta ejus, quibus in casa paterna amicta fuerat, eo in loco suspendere, ad quem frequens ipsi accessus esset. *Henric. Engelgrav. P. 1. Luc. Evangel. p. 33.* Vix enim dubium habet, quin in Uxoribus opprobrium voluerit hanc memoriam conservatam. Longè rectius sensit Udalricus Dux Bohemiæ, dissvadentibus, cum rustici filiam duceret, ita respondens: *se una nocte effecturum, ut qua heri virgo rustica fuerit, eadem eras fieret Princeps, quoniam Principis uxor eadem gauderet cum marito dignitate.* *Dubrav. Hist. Bohem. libr. 7. pr. vide supra §. 6.*

Contra illa agitur contemptu, erga conjugem vilem.

XXXIII, Porro conditione imparem uxorem, aut ex ea susceptos liberos rejicere & à successione sua excludere, ac cum alia persona ad alia vota transire maritus omnium minime

*Nec non de-
sertione vel
exclusionem à
juribus suis.*

mè potest. Nam ut hoc matrimonium omnibus numeris perfectum est, ita individuitas ejus cum juribus annexis ex causa, ab imparitate conditionis prætexta, tolli nequeunt. Malè igitur sese habuit Ernestus Wilhelmus Comes de Bentheim, qui uxori suæ, quod fuerit filia Hartgeri de Zelft Judicis Zutphanensis, dedit post aliquot annos repudium, & liberos ex ea susceptos à dignitate & successione paterna exclusit, urgentibus hoc divortium cognatis, quibus ne quidem confirmatio hujus matrimonii cum suis juribus ab Imperatore impetata fatiserat. vid. Franckenberg in *Europäischen Herold. P. 1. p. 663. b.* Verum sicut in his à parte mariti contra jura agitur; ita illis adversum quoque est, si uxor officiis suis non respondeat, & evecta per maritum ad majorem dignitatem illorum malorum causa fiat, quæ Salomo terram sustinere non posse dicit, respiciens ad insolentiam ancillæ. quæ in uxorem ducta, aut heres facta heræ suæ. *Prov. XXX. 23.*

*Insolentia
erga mari-
tum.*

*De dignitate
mariti vilis
uxor parti-
cipat.*

*Et mariti
Titulus ho-
noratur.*

XXXIV. Rationi convenit & simul ex usu Gentium omnis ævi constat, maritorum dignitatem cum uxoribus suis communicatam, easque pares honore mariti habitas fuisse. Optimè hanc in rem ratiocinatur Imperator in *L. 28. C. de Nupt. Nos Dei sequentes judicium non patimur in uno eodemq; connubio mariti felicitatem uxori fieri infortunium, ut quantum vir in altum tollatur, tantum & ejus uxor decreseat: imò magis depereat. Absit itaque à nostro tempore ejusmodi asperitas, & firmum maneat matrimonium & uxor marito concreseat, & sentiat ejus fulgorem, stabileque maneat matrimonium ex hujusmodi superventu minimè deminutum.* Consonant *L. 8. ff. de Senat. L. 17. C. de Dignat. L. fin. C. de Incol.* Firmum inde ducitur consecrarium: *Regem vel Principem* ducentem virginem nobilem, eandem simul ad regiam aut principalem dignitatem evehere, eique Titulum suum communicare, ut appelletur *Regina Joho Majestät / Königlichem Hoheit / Chursürstl.*

fürstl. Fürstl. Durchlauchtigkeit / Myler. in *Gamol. Pr. cap. 5. §. 13. cap. 7. §. 3. segq.* Franc Pfeil, *P. 1. Conf. 178. §. 161. segq.* Rhet. *d. Tr. lib. 1. tit. 22. §. 3.* Pari modo, habita proportione ad personas minoris gradus in dignitate, se res habet in Uxoribus *Marchionum* vel *Comitum*, quod maritorum suorum dignitate corruscent, licet à nativitate sua tantum nobiles sint. Unde illis non denegatur titulus *der Hoch; und Wolgebohrnen*. Myler. *d. c. 7. §. 7.* Sonneman, *ad Nov. 22. c. 36. n. 3.* *Baro*, qui foeminam ignobilem sibi junxit per mattimonium, suam ipsi identidem communicat dignitatem, ut titulo gaudeat *der Wolgebohrnen*. Et *Nobilis* dat uxori suæ, quæ plebejæ, honestæ tamen originis est, hanc dignitatem, ut ex ipsius titulo honoretur, *die Hoch; und WolEdelgebohrne* / aut si antiquæ stemmatis ille sit, dicatur *die Wolgebohrne*. Theodor. Hopping *de Jure Insignium cap. 7. n. 54.* Stryk *Dissert. de Jure Baronum cap. 6. n. 75. segq.* Feltman, *Tr. de Tit. honor. cap. 51.* Sanè ut honorum ejusmodi titulis uxores horum condecorentur, proprii honoris interest, ne ab inæqualitate uxoris sibi quicquam detractum sentiant à prisca dignitate. Nolden *de Nobilit. c. 6. n. 52.* Tiraquell. *de Nobilit. c. 18.* Formula itaque illa, qua olim in ædes mariti transportata uxor illum alloquebatur: *Ubi tu Cajus, Ego Cæcia i. e. ubi tu Dominus. & pater familias, ego Domina & mater familias.* Plutarch. *Quest. Rom. 30.* antiquitatis usum satis comprobat, fuisse semper ita observatum, quod uxores ad dignitatem maritorum fuerint evectæ.

XXXV. Est Usurpatio horum Titulorum erga Uxores tales species quædam exhibiti honoris, & frequens in salutationibus verbalibus, pariter in scriptis ad eas dirigendis. Par est quoque, ut jure *proprietatis* inter alias foeminas illustres ex prærogativa & dignitate Mariti sui fruantur. De Imperatrice ac venerabili Augusta haut dubitandum, quod omnium Regum

Cum eo
gaudet jure
Proadrias.

gum ac Principum uxores honoris ac dignitatis lumine antecellat, *S. ult. f. de Usucap. L. 3. C. Ubi Senat. vel Clarissimi.* Unde non immerito in Carmine gratulatorio, quod quondam Leopoldo Imperatori tunc sponso oblatum, sponsa ejus Augusta appellata die allerhöchste Princessin auff Erden. De Augustæ præcedentia hæc constat sanxisse Carolum IV. in *Aurea Bulla c. 26. §. 5. Ut Imperatrix vel Regina Romanorum suis Augustalibus amicta insigniis, vel Regem vel Imperatorem immediate procedat, competentis spatii intervallo suis ad sociata procedibus suisque comitata virginibus.* In Gallia quoque Regina cæteros quoscunque Regni Proceres post Regem præcedit, imò & mariti sui Regis matrem vid. Ahasv. Fritsch. in *Opusc. var. Tr. 18. c. 4. n. 4. — 15.* Cæterum quæ Personis illustribus de Prærogativa sint controversiæ, cum de illis privatis non conveniat judicare. nec illi satis ex professo possint, utpote quibus intimiores controversantium rationes notæ non sunt Dn. Becman. *Dissert. de Prærogat. cap. 4.* inde & brevissimis saltem hæc de Prædria fœminæ vilioris, per matrimonium mariti sui dignitati æquiparata, attingere placuit Conf. *Crusius de Jure Negotiarum.* Bernhard. Zierizius *de Princip. int. ips. dignitat. Prærogativa.* Dn. Coccej. *Disput. de Præcedentia.*

*Sufsentatio
Uxori à ma-
rito pro di-
gnitate accu-
randa.*

XXXVI. Posita dignitate Uxoris hujus, necesse est, ut quæ per externum splendorem ad illam significandam necessaria sunt, à marito huic quoq; suæ uxori exhibeanrur. Habet Regis vel Principis Uxor ad expediendum ministerium suum suos proprios officiales, & non tantum in Gynecæo sui sexus personas, sed & viros ex præclaro ordine lectos. Adducemus quæ Seckendorffius de Ministris Uxori regentis Principis datis consignavit in *Teutscher Fürsten Staat P. 3. cap. 5. §. 12. p. 556. seq.* ibi ille: *In onderheit aber ist wegen einer Fürstlichen Gemahlin zu wissen / daß zu weilen und zumahl bey*

bey grossen Hof-Sträten die Landes-Herren denenselben eine
 eigene Auffwartung / auch von Mannes-Personen / als
Hofmeistern / Kammer- und Hof-Junckern / Kam-
mer-Dienern / Pagen / Laqueyen und dergleichen Be-
 dienten verordnen. So aber bey mittelmäßigen Fürsten-
 thümern nicht besonders gebräuchlich / auch / wie oben ver-
 meldet / unbequemlich / sondern wird mehrentheils die Auf-
 wartung / welche der Fürstlichen Gemahlin bey Fürstlichen
 Ausreichungen / und dergleichen Solemnitäten / gebühret /
 durch die vom Landes-Herrn selbst bestellte Diener / auff
 dessen Anordnung oder der Fürstin Begehren / verrichtet /
 doch ist nicht ungewöhnlich / daß denenselben Pagen / Kammer-
 Diener und Laqueyen gehalten / oder auch einem aus dem
 Hof-Adel / der Titul eines **Frauen-Zimmer und Für-**
stin Hofmeisters zu dem Ende gegeben werde / daß er /
 wenn die Fürstliche Gemahlin absonderlich gehet oder
 reiset / die gewöhnliche Ceremonien mit voran gehen / füh-
 ren und begleiten / verrichte. Gebräuchlicher massen aber wird
 einer Fürstin ein **adelich Frauen-Zimmer** von etlichen Ade-
 lichen / oder höhern Standes / Jungfrauen gehalten / welche
 derselben zu allerhand Auffwartung / wenn sie ausgehet / oder
 ausreiset / nachtreten / bey ihren Aufstehen und Niedergehen
 auffwärtig seyn / sie bekleiden helfen / ihren Geschmuck in
 acht nehmen / &c. &c. Von geringern Stand werden etliche
 Kammer oder Hof-Mägde bestellet / welche mit aus und
 anziehen / waschen und säubern / nähen und dergleichen Fürst-
 liche Herrschafft / und dero Frauen-Zimmer an die Hand ge-
 hen: Über die Jungfrauen und Mägde wird eine adeliche
 Frau zur **Hof-Meisterin** verordnet / welche etlicher Or-
 ten die Verwahrung iggedachter Sachen selbst hat / &c.

XXXVII. Præter dignitatem sunt alia jura & eminentia, quæ Uxori Viri illustris competunt. De Augustæ seu Imperatricis illustri-

E

Imperatricis illustri-

freem habeat Imperatricis specialioribus privilegiis vid. Fritsch. *c. l. cap. 8.*
uxor impar? Strauch. *in Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 33.* Jurium, quæ sunt
 uxorum Principum Imperii novem species recenset Myler.
c. l. cap. 7. §. 8. seqq. nempe 1. quod ea, quæ ante connubium
 erat *mediata Imperii Persona* alteriusve Principis Imperii Juris-
 dictioni subjecta, per connubium efficiatur *Immediata* & fo-
 rum sui mariti immediatum acquirat 2. in Testamento con-
 dendo *immunis sit ab observantia solennitatum* Juris civilis,
 possitque Testamentum coram duobus testibus condere 3. ip-
 sius *presentia*, æquæ ac mariti Principis, suppleat defectum solen-
 nium, valeatque Testamentum, quod uxori Principis oblatum
 absque ulteriori solennitate. 4. quod *donatio* à Principis uxore
privato in magna quantitate facta, ut & ea, quæ à privato
 uxori Principis sit, non indigeat *insinuatione*. 5. quæ Princi-
 pis uxor filio suo familias vel filia familias *donavit*, cedant
 peculio *quasi castrensi* & ipsis pleno jure acquirantur. 6. Do-
 natio à *Principe uxori* facta valeat in bonis regno non incor-
 poratis 7. Uxor cum Principe marito suo iisdem *privilegiis*
Fisci gaudeat 8. Emens à conjugè Principis *statim securus* sit
 sine ulteriori solennitate & 9. quod *Ministri & Officiales* con-
 jugis iisdem *privilegiis Fori* aliisve prerogativis utantur, quæ
 officialibus & ministris ipsius Principis competunt. Non ex
 alio quam sæpe dicto principio hæc jura Uxoribus illustrium
 competunt, quod per matrimonium uxor adoptata in indivi-
 duam vitæ societatem, ac divini humanique juris participatio-
 nem *L. 1. ff. de R. N.* Cum autem talis etiam sit uxor inferioris
 ortus, nihil quoque horum illi detrahi potest.

De Imperio XXXVIII. Jura recensita talia sunt, quæ *dignitatem &*
mariti uxor utilitatem uxoris respiciunt. Alia quæ ad *sublimitatem Imperii*
nihil partici- pertinent, cum uxore communia non sunt, sed de Reser-
pet. *sed sub-* vatis Principis regentis manent. Unius enim tantum impe-
7. Et illi est, rium Territorium agnoscit, cujus natura non permittit, ut
& delin- pat

par sit, aut majus in alio imperante ejusdem territorii Chaf-
lanæus in *Catalog. Glor. mundi* P. 5. *Considerat.* 39. Seckend. *potest.*
6. *Tr.* P. 2. c. 7. §. 26. n. 7. p. 161. Bœcler. in *Inst. Pol.* lib. 2.
c. 1. p. 94. Consequens est, quod uxor Principem maritum
suum ut Principem agnoscere, & se summæ ejus potestati
subjicere teneatur, quæ in omnes in territorio constitutos se
extendit, etiam in eos, qui in familia regentis Principis sunt.
& sic quoque in liberos, parentes, cognatos, uxorem ejus arg.
L. 31. ff. de LL, vid. Loccen. in *Hist. Svec. lib.* 7. p. 348.
Hinc ipsam etiam uxorem delinquentem puniri posse à Prin-
cipe marito, contra Mylerum d. *Tr.* c. 7. §. 22. segq. uxorem
Principis sociam non subditam ejus esse statuentem, verior
est sententia. Quamquam prudentiâ opus hic sit, ut, quid
de jure contra delinquentem uxorem statui possit, relaxato
juramento, Consiliariorum suorum dijudicationi committat,
vel extraneum judicem adeat, qui juxta circumstantias ex actis
transmissis apparentes pœnam definiat. Fritsch. d. l. cap. 7.
Rhet. c. l. lib. 1. tit. 22. §. 14.

XXXIX. Uxores maritorum extra hoc axioma imperii, *Jura Uxo-*
attamen toto genere dignitatis supra illas positorum, ut sunt *rum Comi-*
Comitum, Baronum, Nobilium aliorumque præclarorum *tum Nobili-*
præter dignitatem, habent quoque ex maritis suis alia privile- *um quoad*
gia. Sunt de domicilio mariti. L. 65. in f. ff. de *Judic.* L. 14. *forum, Pare-*
in f. ff. *Solut. matrim.* & foro ejus gaudent. L. fin. C. de *incol.*
L. fin. C. de *Privil. Scholar.* ita ut etiam in causâ, ex qua ante *chiam.*
matrimonium alicui obligatæ erant, post illud tamen in foro
mariti conveniendæ sint. L. 37. §. 2. ff. de *Judic.* L. pen. ff. de
Jurisd. L. 32. ff. ad *Municip.* & de eo participant, licet sit spe-
ciale & privilegiatum forum. Brunn. ad L. fin. C. de *Incol.* n.
5. & ad L. 6. C. de *Fabricens.* n. 3. Parochiam mariti sequun-
tur, & Parochianæ consentur esse illius Parochiæ ad quam
maritus pertinet. Si modo à marito diversæ religionis non
sunt,

sint, & planè nolint priorem Parochiam suam mutare, tunc enim ab illa devocari non possunt Petr. Schultz de *Eqquod just. est circa Parochianos* c. 2. §. 17. Dn. Böhmer. de *Jure Parochiali Sect.* 3. c. 2. §. 27. & 28.

Gaudent jure Successionis pro diversitate jurium.

XL. De Successione talium Uxorum hic paucis agere lubet. Ea vero vel ex Jure Civili, vel statutorio vel feudali adornanda est. Successio Conjugum ex Jure Civili novissimo sedem suam habet in *Nov. 53. c. 6. Nov. 117. c. 5. Auth. Præterea C. Unde Vir & Ux.* quæ tamen pro locorum diversitate ut plurimum statutis immutata est, ut hodie conjuges magis ex statutis locorum, quam Jure Civili sibi invicem succedant. Jure Feudali Conjuges regulariter à successione Feudorum excluduntur, quia ratio sanguinis ibi habetur, quem conjuges à primo acquirente non habent. *1. F. 15. 2. F. 15.* Admittuntur tamen ad illam, si feudum merè hereditarium fuerit, vel ex investitura, consuetudine aut statuto successio illis permittitur appareat. conf. de Successionibus Conjugum Andreas Kohl. *Tr. de Success. Conjug.* Stryk de *Success. ab Intest.* Diss. 4. *per tot.* Ex hoc fundamento, in casu ubi Nobilis Bibliopejæ filiam uxorem duxerat, respondit celeberrima Faculta: Juridica Hallensis, huic viduæ in bona feudalia Mariti eandem successionem concedendam esse, quæ alii viduæ nobili ex provinciæ illius statutis competit, apud Stryk in *Uso Mod. ff. de R. N. §. 7.* Cæterum etiam mediante pacto determinari solet, qua ratione superstes conjux prius decedenti succedere debeat, quod pactum *eine Eh-Stiftung / Eh-Vererbung* vocari solet, & hodie in tantum valet, ut ante alia jura ex eo successio determinetur, quia provisio hominis facit cessare provisionem legis. conf. *Tis. ff. de Pact. dotal.* Andr. Kohl *Tr. de Pact. dotal.* Stryk de *Succ. ab Intest.* Diss. 3 cap. 5.

Dotalitium etiam viduæ constituitur

XLI. Per pacta hujusmodi viduæ nobilis ut plurimum dotalitium constitui solet, & quidem in bonis mariti mobilibus.

bus vel immobilibus pro quantitate dotis illatæ, de qua vid. *sub distinctione bonorum*
 Carpz. *lib. 6. Resp. s. n. 9. seqq.* Rhet. *Comment. feud. lib. 1. tit. 15. n. 33. seqq.* ita ut illo vidua uti possit ad dies vitæ in compensationem dotis, salva successoribus feudi proprietate, quod Germanis dicitur *ein Leibgeding / Leibzucht*. Befold. *Tesaur. Pr. voce Leibgeding*. Nicol. Henel. ab Henefeld. *Tr. de Jure Dotalit. cap. 5. §. 1.* Struv. *in Syntagm. Jur. feud. cap. 14. sb. 9.* Cum in compensationem dotis illatæ dotalitium constitui soleat, dubitare licet, si conditione impar uxor bona non habeat, quæ posset pro dote constituere, an post mortem mariti admittenda sit ad dotalitium, quod maritus ipsi in bonis suis constituit? distingvendum erit inter bona feudalia & allodialia, item inter feuda propriè talia & impropria, quæ pro heredibus quibuscunque concessa, & merè hereditaria dicuntur. Ludwell. *in Synopsi Jur. feud. p. 67. & Tr. feud. p. 104.* Si maritus feuda propriè talia relinquat, in illis non valet dotalitii constitutio, quia, ut hoc ex feudo viduæ debeatur, requiritur, ut dos ab uxore *realiter* illata, & simul in feudi utilitatem *versa*, quæ ubi ab uxore probari nequeunt, nec illa ad capiendum dotalitium admittitur, nec agnati ad id post mortem mariti præstandum obligati sunt. Stryk *d. Tr. Diss. 4. c. 2. §. 10. & 11. & in Dissert. de Jure Vidua Saxon. in feudo. cap. 1.* Rhet. *c. Tit. 15. n. 24. seqq.* Si vero bona allodialia vel feuda merè hereditaria reliquerit, etiam dissentientibus agnatis in illis uxor ad dotalitium admittenda erit, quia in hæc bona jure universali succeditur; successor vero universalis ad factum defuncti præstandum obligatus est *L. Cum à matre 14. C. de R. V.* merito ergo ad dotalitium quoque præstandum, quod uxori in hisce bonis à marito assignatum fuit. Hartmann. *Pistor. Quest. Jur. lib. 1. qu. 4. n. 5. 6. 9. 10.* Myler. *c. Tr. cap. 12. §. 5. & 6.*

XLII. Dotalitio in bonis immobilibus constituto, varia *Varia redi-*
 E 3 *jura tuum ex do-*

*calitio spo-
cior.*

jura viduæ in illo competunt, quæ in suam utilitatem exercere potest. Proventibus fructuum gaudet, non naturalium tantum ex agris, metalli fodinis, lignis, lapidicinis renascentium, sed & civilium, utpote laudemii, sportularum ex Jurisdictione, quæ. salvo jure castrorum & propugnaculorum, in dotalitio uxori concessa fuit. Myler. *c. l. cap. 11.* Cumque vidua dotalitium ad dies vitæ, ut Usufructuaria retineat, licet ad secunda vota transeat. Rhet. *d. l. n. 10.* liquet, viduam nostram in casu secundarum nuptiarum illud adhuc retinere, ac facultatem percipiendi fructus, non jus dotalitii in secundum virum, etiam priore viliozem, transferre posse, si pactis in constitutione dotalitii aliter cautum non fuerit.

*Jura per
maritum
quesita vi-
dua retinet.*

XLIII. Non solum jura dotalitii vidua retinet, sed & alia per maritum ipsi quesita, ut domicilium, dignitatem, præcedentiam, cum de mariti familia adhuc reputetur, eaque jura ipsi instar aliorum jurium personalium sunt, quæ non morte conferentis sed accipientis demum desinunt *L. 10. §. f. ff. de B. P. contra sabb. L. 3. §. 1. C. de Usufr. L. 2. §. f. ff. Quib. mod. ususfr. amitt.* Neuenhahn *de Jure viduit. Membr. 3. sect. 4. lit. a. p. 95.* Hermes. *Fascic. jur. publ. cap. 36. qv. 38.* Strauch *in Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 36. §. 1.* Cum vero hæc jura non propria sed ex mariti persona competant, fit quoque quod ea amittantur, si à mariti persona non amplius vidua dependeat. Si ergo postea nubat plebejo, nobilitatem non amplius retinet, adeo ut eam nequidem recipiat, viro illo plebejo aut ignobili mortuo. Quod de immunitate vectigalium & onerum concessa nobilibus declarat, eamque per maritum ignobilem amissa esse probat Gvido Papæ *Decis. 349. & Decis. 380.* Perez. *ad Cod. de Marital. n. 6.* Si ea quoque impudicè vel luxuriose viuat, privilegia, honores ac nobilitatem à defuncto acquisita perdit. Illà quoq; mortuâ, heredes ejus ascendentes & collaterales tantum ut plebeji succedunt. Hermes *d. l. & qv.*

Limitatio.

§. 39. Carpz. in Proc. Tit. 3. art. 1. n. 54. seqq. Salmuth. Responso Jur. Pro Matrim. Princ. cum virg. nobil. p. 160.

XLIV. Præterea viduæ adhuc alia jura competunt, sed non tam ex persona mariti, quam lege ita disponente. Gaudet illustris vidua privilegio, L. un. C. Quando Imper. int. pupill. vigore cujus sive conveniatur, sive conveniat aliquem, omisso judice inferiore, statim ad Tribunal summi Principis provocare potest. Quod Pontifex Honorius in exemplo Regina Angliæ confirmavit in c. 15. X. de Foro compet. quæ Nobilem coram Pontifice convenit. Ejusdem enim eadem ratio, quæ in aliis viduis, habenda, quod quoque illustres viduæ in eæ personæ miserabiles sint, quod charissimi conjugis defensione orbatæ, & non obstantibus divitiis ac conditione communitè, imprimis à præpotentioribus, premi & affligi soleant, quibus idcirco præsidio summi Principis maximè opus est. Myler. d. c. 9. §. 5. seqq. Befeld. Consil. 226. n. 17. Rhet. Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 22. §. 16.

Ex Legis dispositione habet vidua benef. L. un. C. Quando Imper. int. pupill.

XLV. Ex legis dispositione vidua quoque, quæ mater liberorum relicta, jus obtinuit, quod, si velit, ad gerendam tutelam liberorum suorum admitti possit, adeò, ut si concurrat cum avo paterno huic præferri debeat, Nov. 118. c. 5. Brunna. ad Auth. Matr. C. Quando mul. tut. offic. Eyben. de Tutel. famin. Membr. 3. §. 11, 13. 14. 17. Etsi vero mater illustris hoc jure ad tutelam personæ impuberis admittenda sit, dubium tamen non leve est, utrum etiam ad Regni & Principatus gubernationem & regimen debeat admitti, cum gubernatio Reipublicæ, velut defensio aliena, munus virorum non foeminarum sit, arg. L. 18. C. de Procurat. & foemina imperium nequidem in familia privata, nedum in civitate admittatur. Cum tamen ex indulgentia Principum foeminarum tutela approbata sit L. fin. ff. de Tutel. Principes autem, ubi obstant impedimenta naturalia, ea sua dispensatione removere:

Et mater ortu ignobilitatis gaudet quæque tutela liberorum.

An etiam administratione Reipublicæ pro pupillo?

verc:

vere nequeant, & exempla in contrarium tam regentium foeminarum in Italia, Dania, Svecia, Anglia aliorumque regnorum, quam maternarum tutelarum, non tantum in nunc nuncupatis regnis, sed & in aliis, plurimisque Principatibus, nec non in Turcia extantia proferantur, de quibus vid. Perez. ad C. de Dignit. n. 52. Stryk Diss. de Tutela materna Princ. Imper. c. 2. Hertius Tom. 1. Opusc. Diss. de Tutela Regia. Sect. 1. §. 12. ratio illa non tam naturalis quam civilis videtur, ut ex ea malè mater à tutela regnorum, quasi à natura incapax ad eam sit. arceatur, Strauch. d. l. cap. 37. §. 4. Declarabimus hoc latius verbis & ratione Hertii cit. loc. ubi ad quaestionem prolatam his verbis respondet. *Putarem considerandum esse, quid Rex decessor, si adhuc in vivis esset, vel ipse pupillus, si aetatis imbecillitate non prapediretur, vellet: jam autem nulla persona pupillum propius contingit matre, cui & natura subiectus est, & se suumque regnum pra alio mallet committi, nam matrum tenerrimos erga natos affectus nemo nescit. Accedit mortuo patre, secundum jus natura, potestatem in liberos, qui per lubricum aetatis se regere nequeunt, esse penes matrem. Furi autem in personam consequens est jus in res, adeoque ipsum pupilli imperium. Neque vero hunc sexum imperii incapacem esse, ostendunt omnium Gentium & seculorum exempla: & regna sunt, quae feminas summae potestatis, non etiam tutela incapaces censuerunt.* Quae cum ita sint, concludimus: Jus maternae tutelae in filios Principes etiam illi matri competere, quae non ex illustri sed nobili sanguine nata, & ita quoque in terminis hanc quaestionem affirmativè resolvit. B. Stryk d. cap. 2. §. 42.

*Vice versa
famina nobi-
lis nubens
ignobili su-
am dignita-
tem cum ma-*

XLVI. Vidimus speciem matrimonii Imparium, si vir Illustris nobilem, vel Nobilis plebejam uxorem ducat. In specie inversa, si foemina illustris vel nobilis viro ignobiliori nubat, nunc videndum, an hujus matrimonii idem quoque fit effectus, qui in priori specie, scilicet quod & uxoris dignitas

tas derivetur in virum ignobiliorem? quod tam ex rationis, *virio non com-*
 quam juris convenientia negandum est. Hermes *c. l. qv. 40. municat.*
 Cum enim femina ex se dignitatem propriam non habeant,
 sed mutuentur eam tantum à parentibus vel maritis *supr. § 13.* &
 deponant quoque, quando de patris vel mariti familia exeunt,
 consequens est, quod nihil de sua dignitate in maritum con-
 ferant, aut ejus eum participem faciant. Hanc in rem ex-
 pressis verbis dicitur in *L. ult. in f. C. de Incol. Si autem mu-*
lieres minoris ordinis virum sortita fuerint, priori dignitate pri-
vata, posterioris mariti sequentur conditionem. Quæ constitutio
 repetitur in *L. 13. C. de Dignitat.* & in *L. 10. C. de Nupt.* ubi
 dicitur: *quod claritas femina beneficio mariti pareatur, & si se-*
cundi ordinis virum postea sortiatur, illa claritas ad prioris digni-
tatis statum redacta, deposita sit. Idem etiam habetur in *L. 8.*
in f. ff. de Senator. nempe, *quod dignitas femina duret, quan-*
dum alii inferioris dignitatis non nupserit.

XLVII. Conclusio hinc est facilis: si Regis filia vel vi- *Ergo nec Re-*
 dua Regina aut Ducissa nubat viro Nobili, quod eum ad re- *gina virum*
 giam aut ducalem dignitatem non evehat. Pari modo si Ba- *nobilem Re-*
 ronis vel Nobilis virgo filia aut vidua nubat ignobili, quod *gem facit &c*
 dignitatem, quam habet in maritum non conferat. Immota
 nempe rationis manet, quod uxor quidem corrumpet de radiis
 dignitatis maritalis, non econtrario maritus de dignitate ux-
 oris. Myler. *Gamol. Princ. cap. 5. §. 30.* Feltmann, *de Titulis*
Honor. l. 2. c. 9. n. 7. Stryk *Diff. de Jure Baronum c. 6. n. 64.*
 Ne tamen feminis illustribus ex allectione vilioris mariti fan- *Privilegium*
 gvinis dignitas auferatur aut imminuatur, hoc illis *Illustrium*
 datum est, quod congenitam dignitatem & sanguinis præ- *feminarum*
 stantiam retineant, quamvis per connubium inferioris mariti *viris inferiori-*
 Periniquum enim foret, ut per matrimonium, rem honestam *ribus nubent-*
 & laudabilem, perderent præminentias, quæ ipsis in hono- *rium.*
 F rem

rem familiae concessa sunt, quod per mores Europae ita servari constat *supra* §. 27. Et haec connata dignitas, hoc modo illis servata per titulos declarari solet, cum Regum filiae inferioribus nuptae, si maxime ex regno hereditatio fuerint, dici soleant: *Ihre Königl. Hoheit / Comitum vero & Baronum Ihre Gnaden und Hochwolgeborene / Springsfeld, de Apanagio c. 3. n. 9. seqq. Stryk d. l. n. 57. & in Usu Mod. ff. de Senator. §. 10. Myler. d. c. 5. §. 25.* Nobilium aut aliorum praeclearorum filiae vel viduae ex Principis gratia obtinere possunt, ut nubentes vilioribus, illis prioris mariti vel patris dignitas illibata servetur *L. 12. ff. de Senator. ibique Faber in Rational. Cagnol. ad L. 19 ff. de Jurisdic. n. 7.*

Ex consuetudine regnorum vel ducatum potest maritus etiam ad dignitatem uxoris exebis.

XLVIII. Enimvero quae dicta sunt hactenus, quod feminæ suam dignitatem in maritis non transferant, à regnorum & ducatum contraria consuetudine temperanda sunt. In Hispania matrimonio contracto cum Regina, maritus statim regiam dignitatem & administrationem consequitur, nomen utriusque Edictis, Mandatis ac Decretis præponitur, ac quoque utriusque nomine & effigie moneta cuditur. *Perez. c. l. n. 52.* In aliis Regnis & Ducatibus Regina vel Ducissa, nubens marito ignobiliore eum quidem Regem aut Ducem non facit, splendorem tamen aliquem ipsi largitur ex dignitatis suae radiis *Perez. c. l.* Quod ideo fieri existimat. *Calpar. Zieglerus de Jurib. Majest. l. 1. c. 28. §. ult.* quia feminæ illæ in regnis & ducatibus suis multis regalibus ornatae sunt, & potestate territoriali imperium exercent. Unde ut Consularii, & ii qui lateri Principis adherent, splendorem aliquem ex ejus majestate acquirunt *L. 5. C. ad Ful. Majest.* ita conjugem Reginae vel Ducissae suae Uxor radiis corrulicare, potiore adhuc rationem syadete. De *Libussa Ducis Bohemiae* filia, quæ hactenus sola imperaverat, sed ex desiderio populi maritum elegerat, constat, quod illa *Primislaum aratorem* sibi mari-

maritum, subditis vero Principem fecerit. Æneas Sylvius *Hist. Bohem. c. 6.* Alia exempla maritorum ad uxorum suarum dignitatem evectorum vide apud Mylerum *d. c. 5. §. 21. seqq.*

XLIX. Existente casu, quod successio in Regnum aut Principatum filia defuncti Regis delata, quæritur & quæsitum fuisse in Scotia tempore Mariæ Stuartæ meminit Buchanan. *lib. 17. Rer. Scotiæ. p. 642.* possitne ea ex animi sententia virum sumere, an Ordinum Regni vel Provinciæ consensus adhiberi debeat? Existimamus in regno vel ducatu *hereditario*, si filia extra Tutorum potestatem constituta, eam posse ex suo arbitrio sibi, quem velit, eligere maritum, inque eum post mortem regnum transfere, utpote quod liberæ ejus dispositioni subjacet. In regno *non hereditario* aut quæstio est de solis nuptiis ineundis, commodisque, ex regno durante matrimonio obvenientibus, cum marito communicandis; aut est quæstio de ipso regno per pactum ad maritum transferendo. Priori casu iterum potest pro suo arbitrio nuptias contrahere, quia de persona sua obliganda hic tantum agitur, quam potest obligare, quæ extra tutelam posita, sine ullius consensu *L. 3. C. de Nupt.* Et quia fructus regni ad viduam vel filiam de Familia pleno jure pertinent, eos etiam ad maritum liberè transferre potest. Posteriore vero in casu Ordinum consensus simul necessarius est. Cum enim modus habendi regnum penes populum, aut qui eum repræsentant, sit, modus habendi vero hic in eo consistat, ut regnum durante familia, in quam primum collatum, & ex qua ista filia est, in ea continetur, ea vero extincta ad populum revertatur, hujus, ut in maritum, utpote personam alius familiæ, illud transeat, consensus utique necessarius erit, ne invito populo rex obtrudatur & ei jus auferatur, regnum ad se reuersum alii denuo conferendi. *Grot. de J. B. & P. lib. 1. c. 3.*

*An filia Regi
succedens sibi
pro arbitrio mari-
tum eligere
possit?*

§. 10. seqq. Pufend. *de Jure Nat. & Gent. lib. VII. c. 6. §. 14.*
 Myler. *de Princip. & Stat. Imper. c. 24. §. 3.*

*An femina
 cum feudo
 nobili in ma-
 ritum nobi-
 litatem alia-
 que jura
 transferat?*

L. Notum est, inter privatos feuda nobilia dari, per quæ prædia intelliguntur, quæ in symbolum datæ nobilitatis ab eo, qui jus dandi eam habet, alicui sub lege fidelitatis & præstandorum militarium munerum Domino feudi sunt concessa, & ab aliis consuetis oneribus exempta habentur. Nomen hæc feuda ab axiome investiti Nobilis acceperunt, non quod eum nobilitent cui conceduntur, ut latè docet Iter. *de Feudis Imperii c. 3. §. 4. & 5.* Hertius *in Opusc. Tom. 2. Tr. de Feudo Nobili Sect. 4. §. 4. & 8.* Ea, quoties ab istis requisitis non nihil recedunt, & non in specie sub lege militiæ in persona exhibendæ, utque in illis etiam fœminæ succedant, conceduntur, à proprietate sua recedunt, & feudum improprium sunt seu fœmininum, quod Germanis dicitur *ein Weisber / Kunkel oder Schleyer Lehn* Iter. *d. l. §. 6.* Schultz. *in Synops. Jur. feud. c. 3. n. 18.* Myler. *c. cap. 24. §. 1. seqq.* Hic quæstio exurgit: an fœmina quæ successit, hoc feudum in maritum transferre? & quo jure possit? ex illis vero, quæ supra §. 40. tractata ad primam quæstionem negativa patefcit cum suis limitationibus. Ex his vero suppositis si fœmina ejusmodi feudum ad maritum suum transtulit, iterum in altera quæstione negandum, quod ab hoc nobili feudo maritus nobilitatem accipiat, quia non à re, sed ab Imperatore Vassallo nobilitas conceditur Hertius *c. l. §. 7.* Si alia jura sint, quæ tali feudo coherent, ut Jurisdictio, Venatio, Jus Patronatus & similia, jura sunt quæ cum ipso feudo possidentur, etiam ad hunc ignobilem maritum transeunt, ut, ita hoc casu feudum nobile etiam ab ignobili hodie possideri possit, quod olim non permittebatur. Hert. *d. §. 7.* Noric. *ad Finckelsbauß. Controv. feud. Disp. 2. Controv. 7.* Struv. *in Synagm. Jur. feud. cap. 3. ih. 8. n. 2.*

LI. Cum

LI. Cum teste experientia sæpe ad officia promoveantur An per ma-
 viri occasione matrimonii cum certa fœmina contracti, non trimonium
 alienum à scopo nostro erit disquirere: an cum ancilla, lo- cum ancilla
 trice vel nutrice Patroni Ecclesiæ matrimonium contrahen- Patroni quis
 dum sufficiens causa esse possit, Candidatum ad officium sa- promovendi
 crum promovendi? distingvendum putamus an sponte & à possit ad offi-
 se ipso Candidatus cum tali fœmina intendat matrimonium, cium sa-
 ut ejus occasione promoveatur ad officium, an verò ex Pa- crum.
 troni dispositione, ne aliter promoveatur, quam ducta an-
 cilla vel lotrice. Priori casu, quia inter impares personas
 validum est matrimonium, & initur sub conditione, si candida-
 tus ab hero ancillæ fuerit promotus, simul etiam ille sit habi-
 lis & idoneus ad ministerium sacrum, fiatque vocatio consen-
 tiente Ecclesia, non videmus injustam promotionem ejus esse.
 Si licet dotem stipulari sub conditione ineundi matrimonii
 c. 3. X. de Cond. appof. Gerhard. loc. Theol. de Conjug. §. 146.
 officium etiam, quod pro dote accipitur, sub ea conditione
 stipulari non erit nefas. In posteriori casu aliquem sub ea
 conditione promovere non æquè valet. Statuto quidem vel
 lege Superioris in quibusdam locis tantum est, ut ad officii-
 um sacrum candidatus promoveatur demum, si viduam vel
 filiam defuncti pastoris duxerit, quod ut accidens vocationis
 in gratiam miserabilium illarum personarum, si aliter illis
 consuli nequeat, & à vocato nullum Ecclesiæ detrimentum
 metuendum, improbari nequit, Joh. Frider. Meyer. in Musæo
 Ministri Ecclesiæ P. 1. p. 109. seqq. Lynck Diss. de Impetrat.
 Offic. per matrim. c. 3. §. 11. seqq. Carpz. in Jprud. Eccles. lib. 1,
 Def. 42. verum istud statutum vel lex minimè ad ancillam
 Patroni extendi debet, quia non ille favor in ea est, qui in
 viduis vel filiabus pastorum, ut merito si quis hac in re Jure
 Patronatus abusus fuerit, hoc impunè ferre non debeat.
 Brun. in Jure Ecclesiast. lib. 1, cap. 5. §. 16.

Liberi ex impari matrimonio geniti legitimi sunt & in patria potestate.

In transferenda dignitate solius patris attenditur.

LII. Hæc de effectu matrimonii imparium quoad ipsos conjuges. Liberos quod attinet, qui ex eo geniti, cum legitimum Parentum fuerit matrimonium, legitimi quoque illi sunt, ut par eidem respondeat effectus. *L. 6. ff. de his qui sui vel alij sunt. L. 10. §. 1. ff. de his que ut indign.* Meier. in *Colleg. Argent. Tit. de R. N. §. 26. n. 6.* In eos patri acquiritur potestas, cujus in jure sunt varii effectus, quod illis possit dare tutorem. *§. 3. l. de Tutel.* pupillariter illis substituere *pr. 7. de Pupill. substit.* & qui sunt alii, de quibus Philipp. Paschal. *Tr. de Virib. Patr. Potest.* Eamque inter ipsos Principes Germaniæ obtinere, hoc argumento constat, quod Carolus V. Imper. Electorem Saxonie Johannem Fridericum pristinae libertati reddens, eum in specie quoad patriam potestatem in liberos restituerit. vid. Hortleder. *vom Anfang / Sort / und endlichen Ausgang des Teutschen Krieges / lib. 1. c. 88. p. 370. edit. prior.*

LIII. Cum Pater quoque sanguinem suum liberis communicet, & activum eorum instrumentum sic, illi conditionem ejus sequuntur etiam, & dignitatis ac familie paternæ participes fiunt. *L. 27. ff. de Statu hom. L. 196. §. 1. ff. de V. S. L. 36. C. de Decur.* Matris ignobilitas in considerationem non venit, quæ ex se dignitatem non habet, ergo nec confertur & cujus à patre suo particeps erat, eam per nuptias mutavit, & mariti conditionem amplexa est. Dignitas quoque principalis, quæ de novo alicui familie confertur, nunquam hac conditione ad posteros restringitur: si hi matrem quoque Principem habuerint, sed respectus ad solum sanguinem paternum habetur, *dasi er und alle seine eheliche descendenten in den Fürsten Stand erhoben seyn sollen / Stryk de diffensu sponsalio Sect. 5. §. 74.* Veritas autem horum eousque extenditur, ut licet jam pater ex prima illustri vel nobili conjugæ liberos sustulerit, ex secunda quoque non illustri vel nobili uxore suæ conditionis descendentes generet. Myler. in *Gamol.*

cap. 50. §. 25. Imo transitio dignitatis paternæ in liberos adhuc sibi locum vindicat, quando illi per subsequens matrimonium cum matre ignobili legitimitati fuerint. Schürz. *de Statu Rei Romana* V. 1. Exerc. 8. th. 11. lit. a. Myler. *d. l. §. 61. in f.* Ut adeo verum esse appareat istud proverbium: *Penis nobilem, venter liberum facit.* Feltman. *de Impari matrim. c. 3. n. 157.*

LIV. Liberi igitur ex tali impari matrimonio prognati participes fiunt dignitatis & cognominis paterni, ac capaces insignium gentilitiorum aliorumque jurium paternorum. Feltman. *ad L. 19. ff. de Statu hom. n. 1.* Salmuth. *in Responso Jur. pro matrim. Princ. cum virg. nobil. p. 161.* Paschal. *d. Tr. P. 40. c. 2. n. 30. seqq.* Besold. *Polis. 1. c. 11. §. 53.* Reinking. *de Regim. Sec. & Eccles. lib. 1. class. 5. cap. 11. n. 23.* Perez. *ad Cod. tit. de Dignitat. n. 46.* Barbosa *in Thesaura loc. comm. l. 12. c. 13. ex 6.* Bechman. *in Comment. Pandect. Exerc. 3. ad lib. 23. Tit. de R. N. n. 72.* Carpz. *in Jprud. Eccl. lib. 2. def. 11.* Tiraquell. *de Nobilit. cap. 17. n. 20.* Franc. Pfeil. *P. 1. Conf. 28. n. 161. seqq.* Si in contrarium nulla lex vel consuetudo impedimento sit, in comitiis etiam & publicis conventibus votum & sessionem habent. Myler. *d. l. §. 61.*

LV. Sic quoque illi jure Successionum gaudent in bonis & provinciis, quæ Pater illustri reliquit, nec ab agnatis excludi possunt. Vultej. *Vol. 8. Consil. Marpurg. 17. n. 17.* Besold. *Consil. 88. qu. 2.* Quid igitur, si filius sit ex priorē conjugē minus nobili prognatus, & alius ex posteriore illustri secundogenitus, an ille in Jure Primogenituræ huic præferendus erit? quod omninò affirmandum, quia revera Patris Primogenitus & de ejus legitimo sanguine est, ipsique jus & prærogativa ex momento nativitatis & providentia Majorum questum, ergò nullo modo & à nemine id ipsi auferri potest. Springsfeld. *de Apanagio c. 3. n. 306.* Coccej. *de Conjug. Inaquali*

Ex eo solo etiam habent insignia gentilitia & in comitiis votum & sessionem.

Primogenitus ex impari matrimonio præferatur in jure Primogenitura.

Perfj.

Res expeditoria apud Saxones.

Dignitates ad quas capeffendas etiam matris genus illustre requiritur.

Perf. illustr. §. 4. & 5. Sicut ille præfertur, qui ex patre privato genitus iis, qui ex eodem patre jam Principe postea nati, *Tesmar. ad Grof. l. 2. c. 7. §. 28. lit. 4.* *Carpz. P. 2. Const. 10. Def. 32.* ita maternum genus nec hic attendendum, ut deficiens ejus dignitas præjudicio sit primogenito. Secundum Jus Saxonicum filii equestris ordinis res expeditoriae daß *Heer-Gezwette* / quibus ad expeditionem militarem opus habent, cedunt, & inter illos Seniori gladius, quia præ cæteris huic onus militare incumbit, quem habendi jus etiam ad filium Senioris devolvitur. *Carpz. P. 3. C. 38. D. 36.* *Lipskius Cent. 1. O. 57.*

LVI. Cæterum sunt nonnullæ dignitates, quæ ex locorum statutis admissionem non patiuntur, si non certus numerus majorum nobilium tam paternæ quam maternæ lineæ proferatur. Ex illis Torneamentorum ludi equestres recensentur, quorum ut quis particeps sit, daß er zu Schild und Helm Ritter und Stiffmäßig geböhren / debet ascendenti-um quatuor à patre, totidemque à matre qui illustris sanguinis sunt, edocere *Besold. Thesaur. Pract. voce Ahnen & Thörner. Salmuth. d. l. p. 161. seq.* Sic ad acquirendas dignitates Collegii Ecclesiastici Capitularium, Equitum Sacrorum Johannitarum & Marianorum, ut *supra §. 24.* dictum, nemo admittitur, nisi qui nobilitatem Majorum in aliquot ascendentibus docere possit. *Stephan. de Nobilit. Polit. c. 4. n. 44.* *Besold. Polit. 1. c. 11. §. 43. & in delibat. Jur. ad L. 3. ff. de Senator.* Sed rigore quodam in Torneamentis deprehenso, quod Nobilis ignobilem ducens, & filii indè nati ab equestri exercitio exclusi esse debeant, temperavit id Franciæ Nobilitas in eo, qui ex necessitate uxorem civicam duxit, modo ipsi 4000 florenos in dotem attulerit. *Limn. in Addis. ad Juspubl. lib. 6. c. 5. n. 62.* Ne ignobilis uxor obstaret his capeffendis honoribus, leguntur quidam à Cæsare petiisse, ut Imperialibus Codicillis ea in mariti ordinem transcriberetur.

Felc.

Feltman. *de Titulis honor. c. 66. §. 11.* quod, quia omnes ejusmodi dispositiones meri juris positivi & localis sunt, in genere Principem supplere posse, quoties natalibus liberorum aliquid deficit, extra dubitationis aleam positum est. *Besold. d. voce Abnen § potest tamen.*

LVII. Invertamus casum, & nunc despiciamus, an si *Si mater illustrioris* mater illustrioris conditionis sit quam pater, liberi ab ea quoque dignitatem accipiant? quod negandum, non tantum quia mater ut foemina per se dignitatem non habet, & ipsa mariti conditionem sequitur *L. fin. in f. C. de Incol.* sed etiam quia *pater, liberi tamen eam non sequuntur.* Pater caput familiae suae est, cujus omnis in genere & dignitatibus ratio habetur. *L. 19. ff. de Statu Hom. Hoppe pr. §. de Ingen.* Et hoc adeo verum est, ut licet matri illustri vel nobili Titulus innatus & personalis dignitas reservata fuerit, liberi tamen exinde eam non consequantur, sicut nec arma vel jura familiarium sepulchrorum, sed matri ea dignitas ad dies vitae tantum reservata est, & cum ipsa persona sua extinguitur. *Hermes d. qv. 40. Myler. cap. 5. §. 37. seq.*

LVIII. Verum patet ex *Zieglero de Jur. Majest. lib. 1. c. Nec per statutum con-* 28. §. 28. *in f.* evenisse, cum bellis quibusdam universae Nobilitarium *trarium con-* familiae periissent, solis superstitibus foeminis, quod illae *introducitur* qualibuscunque Viris, plebejis etiam & famulis suis, nuperint *teffo* & decretum fuerit, ut hi nobilitatis privilegiis fruerentur, quo essent, qui arma militiamque tractarent *supra §. 9.* Imò de Iliensibus, Parthicis, Delphicis & aliis dicitur in *L. 1. §. f. ff. ad Municip. L. 22. C. de Decur.* quod liberi ex privilegio matris jure aestimati fuerint. Unde disquiritur, an statuto introduci, vel privilegio Principis impetrari possit, ut mater nam Profapiam, nomen & titulum liberi sumant, & ab ea cognominentur, misso Patris nomine? quod affirmat *Myler. d. c. 5. §. 35. seq. Salmuth. d. Resp. p. 161. in f.* Contra negat. *L. 36. C. de Decur. lib. 10. Palzott. de Nostis & spur. c. 61. n. 2.*

ac magis, extra Juris Romani dispositionem, naturæ ordini convenire, ne id fiat, quanquam non penitus Superiori id negatum sit, statuit Ziegl. *d. l. §. 29.* Certè nec infirma ratione hæc negativa nititur. Nam inter omnes Gentes Maritus, ut caput familiæ suæ præest, deque ea ipsa uxor, non vir de familia uxoris efficitur, liberi ab illa dependent: Ergo necessum est, liberi dijudicentur à principio & capite familiæ, non ab ea persona, quæ ipsa huic subiacet. Hinc rectè Perez *ad Cod. de dignat. n. 45.* statuit: dignitatem matris ad liberos per statuta vel privilegium derivatam, obscuriorem debilioremque esse, illustriorem quæ à patre derivatur.

*Contraria
hujus ma-
trimonii sunt
1. abjectæ
conditionis
persona.*

LIX. Satis de effectu hujus matrimonii. Ejus contraria nunc quoque perlustremus, quæ obstant, quod illud vim suam non consequatur. Referimus autem ad illa, si vir claro sanguine cretus, non tam humilem & suæ conditionis impari ducat uxorem, quam manifesta macula aspersam personam, ut meretricem, licitoris aut carnificis filiam. Exemplum foedi ejuscemodi matrimonii dedit Ericus XIV. Rex Sveciæ, quod 1566. d. 4. Julii cum Catharina carnificis filia, concubina sua, ex qua duos sustulerat liberos, publicè & solenni ritu Holmiæ in templo contraxit, eique postero die coronam quoque regalem imposuit. Thuan. *Lib. 43. Hist. sui temp. p. m. 525. in f.* Loccen. *Hist. Svec. lib. 7. p. 376.* Scheffer. *in memorabil. Svecie. p. 19.* Equidem certum est, quod macula, quanta sit, parentum, personam eorum non egrediatur, nec ad liberos transeat. *L. 26. ff. de Pen. L. 9. ff. de Senator.* Quod etiam Jure Canonico non turpe, sed inter opera charitatis referatur, & in remissionem peccatorum proficiat, quando quis mulierem de Lupanari extrahit & ducit in uxorem *c. 20. X. de Sponsal.* Certum tamen simul est, quod carnificis filia abjectæ vilisque originis, & meretrix turpis persona sit, alique mortales ex quadam naturali prænotione abhorreant à

cont-

commercio, atque ita multo magis à tam archissimo vinculo cum personis huius, quod identidem in Principe, Comite vel Nobili non solum ejus persona spectetur, sed totius generis, imò Nationis dignitas & existimatio, ad quam ut splendidis Antecessorum meritis ascensus factus, ita ut porro in ea conferretur, nec turpis saltus de genere in genus fiat, omnium qui de eo genere participant, propriisque factis excelsis adhuc in Orbe illustrent, maximè interest. Proinde negandum in ejusmodi thori sociam extendi maritalis dignitatis radios, cumque ea fieri jurium mariti communicationem, Quin ob tam turpem sociam parum abest, quod ipsum sese maritus talis à pristinae suae dignitatis gradu dejiciat Salmuth. *d. l. p.*

216. Myler. *c. 24. §. 3. & 4.*

LX. Si error vel dolus in contrahendo matrimonio inter-
 venerit, & quis putaverit suae conditionis esse personam, quam
 petit conjugem, cum illa talis non sit, in causa illi sunt, quod
 non subsistat matrimonium. Utroque casu consensus deficit,
 sine quo matrimonium non contrahitur. Posteriori verò si-
 mul malitia concurret, quae decipienti tanto minus commode
 esse debet. *L. 15. ff. de Jurisd. L. 7. ff. de dolo malo.* Haveman.
in Gamol. Synops. lib. 1. Tit. 5. pos. 5. n. 5. Ob dolum igitur ad-
 hibitum non solum sponsalia annullari possunt, sed & vo-
 lente parte decepta, jam consummatum matrimonium, nam
 indissolubilitas personarum hic nulla doceri potest, cum non ex
 Dei ordinatione, sed per fraudes & mendacia illud contractum
 fuerit. Stryk *de Dissensu sponsal. Sect. 2. §. 13. & Sect. 5. §. 5.*
 & 52. Si in errore consummatum matrimonium, annullari
 equidem istud nequit, cum dicta ratio cesset, & hic error solius
 errantis sit, cui tantum nocet Cypræus *de Sponsal. c. 13. §. 36.*
n. 4. §. 37. Sponsalia tamen ex errore inita dissolvi posse, du-
 bium non habet, etsi sponsa non expresse se pro nobili vendi-
 taverit, sponsus tamen ejus conditionis sit, quod non aliam
 quam

2. dolus vel
 error cum
 diverso sa-
 men effectu

quam nobilem ducturus fuisset, quia ob defectum conditionis, quam ille ad futurum vitæ consortium supposuit, deficit quoque promissum & ita quoque omnis ejus obligatio. Stryk. *d. Sect. 2. §. 35. Mev. vom Zustand und Abforderung der Bauern qu. 2. n. 151. Dissent. Arnitzus de Jure Connub. cap. 3. sect. 2. & sect. 6. n. 20.*

3. Principis
Constitutio
restringens
hoc matri-
monium.

LXI. Ad contraria hujus matrimonii etiam Legem vel Constitutionem Principis referimus, qua matrimonium Imparium restringit, ne effectus successionis, dignitatis aliosve ex illo fluentes habeat. Talis vero Constitutionis planè memorabile exemplum occurrit à Serenissimo Rege Borussiae 1697. editæ, qua statuit de matrimonio Nobilis cum abjectissimæ conditionis fœmina, quod liberi ex illo nati incapaces feudi esse debeant. Quæ Constitutio quousque intelligi debeat, doctrinali interpretatione declaratum vide apud Stryk. *in Usu Mod. ff. Tit. de R. N. §. 7. add. Hert. Tom. I. Opus. Tr. de Matrim. Putat. §. 15. in f.* Alia aliorum locorum statuta silentio transimus, quibus Romanum Jus in usum revocatur, quo senatoriæ dignitatis viro matrimonium cum humili fœmina prohibebatur vid. supra §. 10. n. 6. Haveman. *d. Post. 5. n. 3.*

Summa hu-
jus matri-
monii exhi-
betur.

LXII. Sic omnium hic tractatorum hæc summa est, quod Matrimonium Imparium sit: *Societas conjugalis à Mære & Fœmina IMPARIS CONDITIONIS in individuum vitæ consuetudinem ad parem effectum & suam cum alio matrimonio contracta, & non nisi à contrariis quibusdam vel annullanda vel resolvenda.*

Quibus, Deo gratiis solutis, sit Disputationis

FINIS.

Dleich in der Ehe stehn an Freundschaft und Ge-
müthe /
Macht diß Gesellschafts-Band zu viel Ver-
gnügen fest.

Des Standes Ungleichheit nimbt nichts der Sachen Güte /
Die auch des Tadlers Mund wol ungeträncket läßt.

Daß aber diß das Recht und die Vernunft auch lehren /
Ist zu beweisen Er / mein Freund / ist und bereit.

Es folge seinem Fleiß ein großes Theil der Ehren /
Und sey zu zeigen ihn / Ihm mehr Gelegenheit.

Mit Wunsch alles fernern Wohlergehens
übergiebet dieses dem Herrn Respon-
denten

Der DISPUTATION PRÆSES.

NOBILISSIMO ac POLITISSIMO

DANIELI FRIDRICO
HOHEISELL,

Domestico ac Amico Percharo

Gratulatur

GOTTL. SCHELGVIGIUS, Prof. Publ.

Non inepte dixit, quicumque primus dixit *Studiorum Fi-
nis est Mulier*: Non quod illis qui Musarum castra se-
quuntur hoc proverbio commendetur, ut quæsitæ anxie
occa-

occasione properent ad matrimonium & levato velo ad hunc portum festinent. Intempestiva talis Svasio cursum studiorum valde impediret ac turbaret. Neque hunc Finem admittit nobilitas culturæ studiorum, quæ unicè id intendit, ut capacem reddat hominem DEO & proximo inferiendi, Sed verò inter præmia & fructus laboris exantlati numerandum esse Pronuntiatum docet, cui tractato decenter & ritè consummato in Academiis studiorum cursu illud summum felicitatis humanæ fastigium, ex Numinis divini gratia attingere conceditur, ut in thori Socia grato se frui vitæ adjutorio fateri possit. Tanti momenti cum sit felix conjugium, quid prohibet ne Juvenibus & differendo & disputando statim in Scholis argumenta de Matrimonio tractantia proponantur: Interest enim & Reipublicæ & propriæ uniuscujusque saluti ut maturè sciant quo fine non ficto ineundum sit matrimonium; ne, cum semel tantum hac in re insanire nobis liceat, nonnisi præsentis voluptatis illecebris inductus uxorem quærat; sed ut statum Conjugalem à Deo Conjugii Autore nobilioribus quas animorum consortium parit destinatum deliciis pro conditione suæ dignitatis æstimet. Probo itaque consilium tuum *Nobilissime HOHEISELL* quo Schediasmatis de *Matrimonio Imparium* publicam in Te suscepisti defensionem. Dependet

det ab hoc vitæ nostræ puncto non temporaria tantum sed
& æterna quam speramus hominum salus. Quidni ergo
multum interfit & svasu dignum, ut matrimonium initurus
probe consideret quam & qualem sibi eligat Conjugii Soci-
am? Non ingratum Tibi fore spero *Domestice perchare* quod
de cum laude inito & non sine encomio hæctenus continuato
studiorum cursu Tibi publica allocutione gratulari, & quan-
tum Te amen declarare decreverim. Jam votorum meorum
summa est ut præmium studiorum tuorum olim sit Con-
jugium felix & ab omni parte beatum. Scrib. d. ult.
April. cio 13 cccxvii.

Æ Quales nos reddit amor: nec Jura vetabunt,
Primæva nobis quod ratione licet.

Ser.

CHRIST. GABRIEL Serber/
Gedan. Opp.

D Octrinæ præclara cupis depromere dona;
Applaudo studiis, prospera quæque precor!
Cum-

Cumque lares patrios mens sit relinquare: Terras
Non patrias adeas Te comitante DEO.

*Hæc pauca Nobilissimo Dn. Respondenti
amico suo inter paucos dilecto, cum
omnigenæ felicitatis voto in grati
animi sui contestationem reliquit
iter parans*

BENJAMIN GOTTL. Schlieff/ Ged.

War solte billig gleich mit gleichen sich gesellen/
Wie uns das Sprichwort sonst hievon zu sa-
gen pflegt:
Ungleiche siehet man sich doch zusammen stellen /
Wie dieß gelehrte Blat es uns vor Augen legt.
Er läffet seinen Fleiß / mein werther Freund jetzt
spühren /
Gott geb Ihm Glück darzu: der woll' Ihn weiter
führen.

*Dieses wenige wolte dem Herrn Respon-
denten zu gratuliren in Eyl auff-
setzen*

C. G. BRANDIS, Gedan.

Opp.

11

IL n'est rien cher Hoheifell trop haut pour ton
esprit,
La Gloire en disputant sera toujours son prix,
Il fait si bien pousser à bout une matiere,
Qu'il ne manque jamais de fournir sa carriere.

Par son tres-humble serviteur
D. H. Stockdeiff / Ged.

POLITISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

Amicorum intimo,

felices rerum successus P.

JOANN BENTZMANN,

Opp.

Multi anni jam sunt, à quibus fundamenta literarum
sub iisdem Hodegis unâ posuimus, ac post in Athe-
næo humaniores disciplinas sub auspicio communi-
um Præceptorum excoluimus, inque his studium & operam
collocavimus. Nunc cum pro tua singulari in publico pri-
vato-

vatoque jure industria, eruditionis specimen ostendere conaris, gratulor ex animo de hoc conatu, utque Tibi Tuisque sit laudi, emolumento aliis, ex animi sententia precor. Simul etiam voveo, ut Cathedram, quam in hac efflorente ætate jam ornas tandem aliquando in Academiis etiam, qua respondendo qua præsidendo, pro virili tuearis; nam cum unicuique Civium meorum ex animo (uti municipem bonum decet) benè velim; ita Patriam beatam judico, si quæ eidem propria sunt bona, non sibi modo adjudicet, sed in exteros etiam redundare patiatur; quemadmodum navi vento secundo acta, navigantium una gaudent ubicumque gentium orti. Persequere igitur, Amicorum desideratissime, institutum quod cæpisti, & ingens à tergo Te comitabitur gloria, quæ & hujus epistolæ meæ & votorum summa est. Vale Gedani
extrema Aprilis MDCCXVII.



ULB Halle

3

002 178 486



56

VD 18





Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM JURIDICAM

DE
**MATRIMONIO
IMPARIUM,**

1777 2a

SUB MODERAMINE
VIRI

NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, EXCELLENTISSIMI

DN. SAMUELIS FRIDERICI

WILHELMII

J. U. D. Ejusdem ac Historiar Prof. Publ. & Illustris Athenæi
Gedanensis Inspectoris, Fautoris Studiorumque suorum Promotoris
Omni pietatis cultu æternum prosequendi,

In
AUDITORIO ATHENÆI PATRII
maximo,

Die 13. Maji AN. MDCCXVII. Hora IX.

A Dissentientium objectionibus
pro virili tuebitur

DANIEL FRIDERICUS Stobessell / Ged,
L. L. Stud.



GEDANI,
Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,
SENATUS ET ATHENÆI TYPOGRAPHI.

